DE

EXILIO APUD ROMANOS

INDE AB

INITIO BELLORUM CIVILIUM

[illegible]

SEVERI ALEXANDRI PRINCIPATUM

SCRIPSIT

LUDOVICUS MAURITIUS HARTMANN.

BEROLINI
[illegible]

DE

EXILIO APUD ROMANOS

INDE AB

INITIO BELLORUM CIVILIUM

USQUE AD

SEVERI ALEXANDRI PRINCIPATUM

SCRIPSIT

LUDOVICUS MAURITIUS HARTMANN.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
1887.

O. HIRSCHFELD

TH. MOMMSEN

S.

Praefatio de antiquissimis exiliis.

Populus Romanus de capite civis iudicat; sed iure Romano iis, qui capitis accusati sunt, quamdiu maior pars tribuum non condemnavit, tamdiu in voluntarium exilium ire licet; in iis autem civitatibus, quibuscum Romanis foedera sunt, condemnati in tuto sunt: tali modo septimi a. u. c. saeculi initio Romae res capitales actas esse tradit Polybius, haud sane spernendus auctor [1]). Si quis igitur condemnatus erat populi iudicio, is, si in civitate permanserat, a magistratu supplicio afficiebatur; sin in aliam civitatem confugerat, poenam vitabat, ut *exilium non supplicium* esset *sed perfugium portusque supplicii* [2]). Quam rem non omnibus temporibus Romae ita se habuisse satis constat. Nam cum dubitari non possit, quin *initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant*, pressa sit, negari non potest Romanis non semper gloriari licuisse *nulli gentium mitiores placuisse*

[1]) Pol. VI, 14, 7—8: *τοῖς γὰρ θανάτου κρινομένοις, ἐπὰν καταδικάζωνται, δίδωσι τὴν ἐξουσίαν τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἀπαλλάττεσθαι φανερῶς, κἂν ἔτι μία λείπηται φυλὴ τῶν ἐπικυρουσῶν τὴν κρίσιν ἀψηφοφόρητος, ἑκούσιον ἑαυτοῦ καταγνόντα φυγαδείαν· ἔστι δ' ἀσφαλεία τοῖς φεύγουσιν ἔν τε τῇ Νεαπολιτῶν καὶ Πραινεστίνων ἔτι δὲ Τιβουρίνων πόλει καὶ ταῖς ἄλλαις, πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια.*

[2]) Cic. *pro Caec.* XXXIV, 100: *„sed cum homines vincula neces ignominiasque vitant, quae sunt legibus constitutae, confugiunt quasi ad aram in exilium; qui, si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem quam vitam amitterent.“* ....

poenas[1]). Atque cum usque ad Gracchana tempora, quoniam exilium non poena erat, nemo, nisi qui nondum immutabili populi iudicio condemnatus erat, Romae commorari potuerit[2]), septimo a. u. c. saeculo inveniuntur, qui etiam condemnati in quaestione perpetua, quam populi iudicium non secutum esse constat, aliquod tempus Romae morati sint, antequam exilii causa solum verterent. Nam et Mummium[3]) praesentem in quaestione, quae e lege Varia exercebatur, et Oppianicum[4]) in quaestione de veneficiis et Milonem[5]) in quaestione lege Pompeia constituta condemnatum post damnationem aliquot dies Romae moratos esse constat neque dubium est, quin idem in aliis reis, quorum causas auctores nostri aut omnino non tradiderunt aut non satis accurate narraverunt, factum sit. — Quae iuris commutatio cum eodem tempore sit facta, quo quaestiones perpetuae ad res capitales iudicandas con-

---

[1]) Summos cum infimis non semper pari iure retentos esse praeter alias res mos vadum in causis criminalibus dandorum ostendit; nam pauperes ad locupletes vades dandos certe non valebant. Causarum privatarum analogiam Ihering protulit: cf. quae serio ac pulcherrime scripsit de *„Reich und Arm im R. Civilprocesse"* in *„Scherz und Ernst"* etc. — Quin etiam ex nostris moribus inveterata illa barbaria, nondum deleta est; nam etiamnunc, si reus inrogatam multam non solvit, in carcerem conicitur. — cf. Paul Diac. s. v. *vadem.* Gell. II, 14, 1. XVI, 10, 8. — K. Quinctius: Liv. III, 13. Dion. X, 8. Val. Max. IV, 4, 7. Festus *s. v. Quintia prata.* — Liv. XXV, 3—4.

[2]) Coriolanum, quem Dion. VII, 64. 67 tradit damnatum Roma egressum esse, Livius II, 35 meliorem fontem secutus narrat absentem damnatum esse. cf. Mommsen, *R. F.* II p. 125. — Liv. III, 29. XXV, 2 dicit quosdam damnatos in exilium abiisse, ex quo hoc solum colligi potest Livium contendisse illos post condemnationem civitatem mutasse. — Alio quodam modo fabula de M. Claudio ficta interpretanda est. Liv. III, 58. Dion. XI, 46.

[3]) App. *b. c.* I, 37: *Κόττας . . παρῆλθε μὲν ἐς τὸ δικαστήριον, σεμνολογήσας δὲ ὑπὲρ ὧν ἐπεπολιτεύετο καὶ λοιδορησάμενος τοῖς ἱππεῦσι φανερῶς ἐξῄει τῆς πόλεως καὶ ὅδε πρὸ τῆς ψήφου· Μούμμιος δ' ὁ τὴν Ἑλλάδα ἑλὼν αἰσχρῶς ἐνεδρευθεὶς ὑπὸ τῶν ἱππέων ὑποσχομένων αὐτὸν ἀπολύσειν κατεκρίθη φεύγειν καὶ ἐν Δήλῳ διεβίωσεν.*

[4]) Cic. *pro Cluent.* XXVII, 74 ss.

[5]) Ascon. *in Milon.*, in f.: *„Milo in exilium intra paucissimos dies profectus est . . . . multi praeterea et praesentes et, cum citati non respondissent, damnati sunt."*

stitutae sunt, facere non possumus, quin coniciamus eam commutationem propter quaestiones illas constitutas esse factam[1]). Nam cum ab iis quaestionibus, quippe quae privatorum iudiciorum formam haberent, rei provocare non possent: et provocatio, illud civium Romanorum iuris fundamentum, quod de omnibus criminibus quaestiones constituebantur, penitus sublatum est neque, quod de reis, simulac damnati erant, magistratus supplicium sumere poterat, ius in exilium eundi, nisi defensione omissa, reis relictum est. Eo accedit, quod per C. Gracchi legem, qua cautum erat, ne de capite civium Romanorum iniussu populi iudicaretur, quaestionem de vita civis exercere nemini licuit[2]). Quare aquae et ignis interdictio, quae iam pridem non nomine, sed re in locum suppliciorum successerat, poena facta est; qua poena capitalia crimina iam legibus Corneliis Sullae sancta esse constat[3]): quaedam crimina iam antea aliis legibus ita sancta esse neque affirmare neque refellere in animo est. Capitalis igitur poena una esse desiit atque vitae et exilii poenae distinctae sunt, quoniam iudicia, quorum sententiae immutabiles erant, complura erant[4]).

Sed exilium non solum ex iure civili, sed etiam ex iure gentium pendet. Nam illis temporibus, quibus singulis civitatibus nullum commercium aut alia coniunctio cum aliis civitatibus erat, iura tantum intra fines singularum civitatum exiguos locum habebant: pro iure gentium belli ius valebat; nullius existimabantur esse atque cedere civi occupanti, quaecunque extra fines cuiusque civitatis erant; latrocinia nullam habebant infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis fiebant; societas nulla erat nisi eorum, qui eiusdem gentis,

---

[1]) Mommsen, *R. G. II, 108* conicit C. Gracchum novam illam poenam in remp. induxisse.

[2]) Cic. *pro Rab. ap. pop.* IV, 12. Haud abnuerim C. Gracchum hoc spectasse, ut prohiberet senatum quaestiones extraordinarias constituere.

[3]) Lex Cornelia de falsis: *D.* 48, 10, 33.

[4]) Zumpt credit reos post iudicum sententias latas ante praetoris sententiam in exilium abiisse; cui et Milonis causa et legis modo memoratae sanctio obstat.

aut eorum, qui eiusdem civitatis erant[1]). Quare cum alius civitatis iura ab alia non observarentur, quoniam foedera, *quibus etiam cum hoste devincitur fides*, nondum facta erant, exilium non poterat esse iustum; nam si quis patria profugus in alienam civitatem receptus postea in civium suorum manus inciderat atque interfectus erat, certe iure erat caesus. — Gradus autem plures sunt societatis hominum: gentiles artissime inter se coniuncti sunt; latius patens gentibus nonnullis inter se societas est, quod est principium urbis et quasi seminarium reipublicae; sequuntur civitatum coniunctiones sive cognationis vinculis coniunctae erant sive fiebant, ut eodem mercatu uterentur eosdemque deos colerent aut praedam de communibus hostibus caperent. Quorum foederum vincula etsi minime arta erant, tamen, cum altera alterius foederatae civitatis iura observare deberet, tunc primum, quamquam id foederum verbis non expressum erat, ipso foedere factum est, ut exilium iustum esse posset. Nam si quis a foederatis in civitatem receptus erat, is novae civitatis iure a suis popularibus tutus erat; itaque iure exilium constitutum est[2]).

Roma vero urbs inde ab initio cum ceteris Latinis urbibus foedere sociata erat, et Polybius inter urbes, in quibus Romanis exulare ius erat, nominatim praeter Neapolim et Tibur et Praeneste commemorat[3]). Sed in foederibus

[1]) Cf. quae Hugo Grotius de ea re scripsit; *de iure belli ac pacis, proleg.: „societatis custodia, humano intellectui conveniens, fons est eius iuris quod proprie tali nomine appellatur: quo pertinent alieni abstinentia“* etc. — ib. II, 15, 5. — Hobbes, *de cive* I, 5, 2. — Varro *l. l.* V, 3: *„tum eo verbo* [„hostis“] *dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur“*; etc.

[2]) Ex omnibus rerum gestarum monumentis colligi potest, quidquid in rebus humanis profectum est, id omne consociatione hominum esse profectum. Consociatione enim factum est, ut et eadem iura ad plures pertinerent et labores hominum operis distributis levarentur. Eaque quasi lex vitae generi humano dicta esse videtur, ut quot aetatis tot consociationis gradus ascendat.

[3]) Cf. p. 1 n. 1. — Tibur: M. Claudius, Liv. III, 58. Dion. XI, 46. — cf. Liv. IX, 30. — M. Matienus, a. DLXXXIII°, Liv. XLIII, 2. — Praeneste: P. Furius Philus, ib. — Lavinium: Collatinus. Liv. II, 2. Dion. VIII, 49. — Lanuvium: M. Volscius, Liv. III, 29. — Ardea: Camillus, Liv. V, 32; 43. Dion. XIII, 6. cf. Liv. IV, 11.

exilii fundamenta posita esse etiam eorum non iusta exilia nos docent, qui, cum poenam sibi inrogatam legitimam esse negarent, ad eas gentes, quibuscum Romanis foedera non erant, fugerunt, et civitate Romana non deposita hostilem in patriam animum gesserunt: Coriolani fabula, nobile eiusmodi fugae exemplum fictum, et ceterae, quae nobis traditae sunt, causae [1]) demonstrare videntur Latinos veteribus illis temporibus foedera inter se, non cum finitimis nationibus iniisse, cum alienigenis autem civitatibus inter se foederatis, veluti cum Tuscis, continua bella gessisse tantum ob indutias interdum intermissa [2]). Inter Latinos autem mutuum exilii ius fuisse cum ex aliis rebus colligi potest, tum apud Ciceronem scriptum invenimus fuisse, quibus Romae exulare ius esset [3]).

Sed cum Latinarum civitatum societas dirempta esset Romanumque imperium etiam ultra Latii fines late pateret, foederum exiliorumque ius commutari coeptum est et in iis solis Latinorum civitatibus, quae etiamtunc sui iuris erant, ut Tibure et Praeneste, Romani exulabant [4]). Praeterea et

---

[1]) Gell. XVII, 21, 11: „*Cn. Marcius Coriolanus ..... ad Vulscos, qui tum hostes erant, a rep. descivit bellumque populo R. fecit.*“ Liv. II, 35. Dion. VIII, 1. 6: *καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐξόν μοι ζῆν ἀπραγμόνως εἴτ᾽ ἐν ταῖς Λατίνων πόλεσιν ἠβουλόμην κατὰ τὸ συγγενὲς, εἴτ᾽ ἐν ταῖς νεοκτίσταις, ἃς οἱ πατέρες ἡμῶν ἀπῴκισαν, οὐκ ἠβουλήθην, ἐφ᾽ ὑμᾶς δὲ κατέφυγον, οὓς ἠπιστάμην πλεῖστά τε ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἠδικημένους κ. τ. λ.* — Anci regis liberi: Liv. I, 41. — Tarquinia gens: Liv. I, 60. etc. — K. Quinctius ad Tuscos profugit: Liv. III, 13. Dion. X, 8. — Ap. Herdonius, fugitivorum dux, Sabinus erat: Liv. III, 15. Sed cf. Dion. X, 14—15.

[2]) Nam foederis summam hanc fuisse arbitror: *aeterna pax esto;* cf. Cic. *pro Balbo* XVI, 35: „*nihil est enim aliud in foedere nisi ut pia et aeterna pax sit.*“ Finis *belli foedus* erat neque pax sine foedere. — Varro *l. l.* V, 86: „*nam per hos* [sc. fetiales] *fiebat, ut iustum conciperetur bellum et* [cum] *inde desitum, ut foedere fides pacis constitueretur.*“ — Cf. quae Hobbes, *de cive I, I, 12* de ea re scripsit: „*negari non potest, quin status hominum naturalis antequam in societatem coiretur, bellum fuerit; neque hoc simpliciter, sed bellum omnium in omnes.*“

[3]) Cic. *de or.* I, 39, 177. — Nescio an etiam fabula de Romuli asylo sero inventa huc spectet.

[4]) Cf. p. 4 n. 3. — Liv. VIII, 14. Cic. *pro Balbo* XXIII, 53.

Tarquinios[1]) et Neapolim[2]) et Nuceriam[3]) perfugia exulum persaepe fuisse accepimus neque dubium est, quin omnes *liberae* vel *foederatae* civitates et Tuscorum et Graecorum et ceterarum gentium eodem iure usae sint. Haec vero inter Latinas et ceteras civitates differentia fuisse videtur, quod in his, non in illis exuli, ut civis fieret, adlectione opus erat[4]). Coloniae autem Latinae eadem, qua ceterae Latinae civitates, condicione erant et, quoniam sui iuris erant, exilii ius habebant[5]).

Iam vero Italia relicta nonnulli exules alias terras petunt, pars, quod in remotiore urbe tutiores ab inimicorum insidiis se esse putabant, pars, ut in Graeciae urbibus, quae eis rebus, quae ad exhilarandam ornandamque vitam plurimum momenti facere censentur, abundabant, vitam iucundiorem viverent; atque in earum civitatum numero multae erant, quae nobiles ac divites Romanos libenter acciperent. Quamquam enim non multae foederatae erant civitates, liberarum non parvus numerus erat; quas ipsas quoque ius exilii habuisse constat[6]). Praeter Massiliam[7]) in provinciis occidentis Tarraconis et Gadium[8]) mentionem facio. Graecia vero Asiaque

---

[1]) Cn. Fulvius: Liv. XXVI, 3.

[2]) Pol. *l. l.* In eam urbem Pleminius abire voluit: Liv. XXIX, 21. — De Heraclea cf. Cic. *pro B.* VIII, 21; XXII, 50; *pro Arch.* IV, 6. Sed nescio, cur et Siebert, in *programm. Hohensteinensi,* et Zumpt dicant M. Lucullum in ea urbe exulasse.

[3]) Cic. *pro Balbo* XI, 28: Q. Maximus C. Laenas Q. Philippus. — Exilii ius cum alias tum has urbes habuisse conici potest: Camerinum [Cic. *l. l.* XX, 47. 50. Liv. IX, 36. XXVIII, 45]; Iguvium [Cic. *l. l.*]; Ravennam [Cic. *l. l.; fam.* VIII, 1, 4.].

[4]) Ut id adderem Mommsen monuit. — Cic. *pro B.* XI, 27. — Cf. *C. J.* X, 40, 7. — Populus Romanus si *„iustum exilium esse scivit“*, nonne *„fundus factus est“?*

[5]) Cic. *pro Caec.* XXXIII, 98. — Dion. VIII, 6 [p. 5 n. 1]. — Cf. Liv. IV, 11.

[6]) Cic. *pro Balbo* XI, 27: *„... quia commune liberorum est populorum non proprium foederatorum: ex quo intellegi necesse est aut neminem ex sociis civem fieri posse aut etiam posse ex foederatis.“*

[7]) Sed nullius eis temporibus Massiliae exulis auctores nostri mentionem faciunt.

[8]) Tarraco: C. Porcius Cato, Cic. *pro Balbo* XI, 28. — Gades: *ib.* XII, 29. — De Sagunto cf. *ib* XXII, 50. Liv. XXIV, 42. XXVIII,

plenae exiliis: L. Opimius Dyrrhachii, quae urbs bello contra Teutam gesto a Romanis libertatem adepta erat [1]), exulabat et Athenis Rhodique, quibus in urbibus iam illis temporibus permulti nobiles Romani omnium bonarum artium cultu invitati versati esse traduntur, exules esse solebant [2]). Mummii autem, quippe quem Deli exulasse Appianus scribat [3]), causa nos docet Atheniensium exilii ius etiam ad colonias, quas *κληρουχίας* appellabant, pertinuisse; neque in ea re Athenienses a iure communi liberarum civitatum discessisse arbitror, cum eiusmodi colonias partes civitatis Atheniensium fuisse constet. Neque dubium est, quin, quibus urbibus in Asiae ora sitis Antiocho devicto Romani libertatem concesserant, eae omnes exulum perfugia persaepe fuerint [4]).

---

39. — Naevium, si a. DL° Uticae mortuus sit, non in iusto exilio fuisse certum est. [Cf. Teuffel, *R. L. G.* §. 95.]

[1]) Cic. *pro Sest.* LXVII, 140. — Cf. Kuhn, *Verfassung des R. Reiches II*, p. 17 n. 88. — Eadem condicione et Cercyram et Apolloniam iam tum fuisse puto.

[2]) T. Albucius: Cic. *Tusc.* V, 37, 108. — Metellus Numidicus: Liv. *ep.* 69; fieri certe potuit, ut Rhodi exulans tamen Trallibus ludos quosdam spectaret: Val. Max. IV, 1, 13. Cf. Gell. XVII, 2, 7. — Exules Italici in Acarnania: Liv. XXXIII, 17.

[3]) App. *b. c.* I, 37 cit. — Cf. Strab. *p. 486.* Kuhn *l. l.* p. 42.

[4]) Chios, Erythrae: Kuhn *l. l.* p. 16. — Q. Servilius Caepio Smyrnae exulabat: Cic. *pro Balbo* XI, 28. P. Rutilius Rufus, qui fortasse non condemnatus erat, cives Smyrnae factus est. Cic. *l. l.*; Tac. *ann.* IV, 43 etc. [cf. Zumpt, *Röm. Crim.-Process* p. 477 ss.] —

I. De exilio inde ab initio bellorum civilium usque ad principatum Tiberii.

a. De aquae et ignis interdictione.

[Exilia; postliminium; ἀσυλία; status permutatio; publicatio bonorum.]

Eodem fere tempore, quo aquae et ignis interdictio poenae locum in republica obtinuit, alia quoque ex parte exilii ius mutatum est. Scilicet cum bello sociali omnibus Italicis civitas Romana data esset[1], nullo in Italia perfugio exulibus relicto trans mare fugere coacti sunt. Sane opponi potest Oppianicum damnatum per aliquot annos prope Romam vitam traxisse[2]). Sed nequaquam inde colligi potest id ei *cum vagus et exul erraret atque undique exclusus* per leges licuisse; nam qui tunc dominabantur, Oppianicum iniuste condemnatum esse putabant, ut omittamus totam Italiam per eos annos bello servili commotam esse. Neque magis ex eo, quod populus Ciceronem sub mortis poena in Italia morari vetuit, recte colligitur exuli praeterea licuisse in Italia remanere; ideo enim Clodius minas illas legi inseruit, ut magistratus officii admoneret[3]).

[1]) Liv. *ep.* LXXX. — Cf. Cic. *pro Mil.* XXXVIII, 104.

[2]) „*Desertus ab omnibus*" erat et in villa amici latitabat. Cic. *pro Cluent.* LXI, 170. LXII, 175. — Neque quicquam Q. Pompeii Rufi causa docet, quem a. a. u. c. DCCII° damnatum Caelius prima anni sequentis parte scribit Baulis degere. [Cic. *fam.* VIII, 1, 4.] Nam ex eadem epistula omnes fere nesciisse, ubinam gentium ille esset, colligi potest. Val. Max. IV, 2, 7 ad posterius tempus refero.

[3]) De tota Ciceronis causa cf. Zumpt *Röm. Crim.-Recht* I² p. 427 ss. — Cic. *ad Att.* III, 1—7; *pro Plancio* XXX ss. etc., *orationes post reditum.* Dio XXXVIII, 17.

Quamquam, quo confugerint ultimis liberae reipublicae tempestatibus exules, raro traditur, certe constat quosdam eorum aut Athenas [1]) sedem sibi elegisse aut Massiliam [2]), quarum urbium foedera a Romanis diligentissime observabantur. Praeter Massiliam et fortasse Ravennam [3]) occidentis urbem nullam exilii causa auctores nostri memorant, complures autem orientis; ita Corcyram exules conveniebant, cui insulae iam pridem a Romanis libertas concessa erat [4]), et in oram ei contrariam [5]). Item Cephalleniae [6]) esse solebant et Patris [7]), cuius urbis Memmius quidam civis factus esse traditur, et Rhodi [8]) et Mytilenis, in urbe a Pompeio libertate donata [9]), et Cyzici, quo Cicero ire voluit, et Mileti, quam

---

[1]) A. Manlius Torquatus: Cic. *fam.* VI, 3, 4; 4, 5. L. Caninius Gallus: Cic. *ib.* II, 8. 3. [Zumpt, *Crim.-Proc.* p. 515 s.] — Quidam, qui cum Catilina fecerant: Cic. *ad Att.* III, 7, 1. — Cassius Parmensis Athenis mortuus est. — Atticus non in exilio fuit: Corn. Nep., *Att.* 3, 1: *„quo factum est, ut .... civem .. facere studerent: quo beneficio ille uti noluit, quod nonnulli ita interpretantur amitti civitatem Romanam alia ascita.“*

[2]) Catilina se Massiliam in exilium abiturum dixit: Sall. *Cat.* 34. Cic. *Cat.* II, 6, 14; 7, 16. — L. Scipio: Cic. *pro Sestio III, 7.* — Milo: Dio XL, 54, 3. — Volcacius Moschus: Hor. *ep.* I, 5, 9. Tac. *ann.* IV, 43. [Hirschfeld, *Stzber. d. Wiener Ak. phil. Cl.* CIII p. 285.]

[3]) T. Munatius Plancus Bursa: Cic. *fam.* VIII, 1, 4. — Cf. Cic. *pro Balbo* XXII, 50.

[4]) C. Toranius, Cn. Plancius: Cic. *fam.* IV, 14. VI, 20. — Strab. p. 329 fr. 7—8. Pol. II, 11, 6. App. *Ill.* 8: *Κορκύρα καὶ Ἀπολλωνία.*

[5]) P. Autronius: Cic. *ad Att.* III, 2; 7, 1.

[6]) C. Antonius Hybrida: Strab. p. 455. *C. I. G.* I, 340, sub Hadriano: *ἡ πόλις Παλέων τῆς Κεφαληνίας ἐλευθέρα καὶ αὐτόνομος.*

[7]) Ex App. *b. c.* II, 24 et Cic. *fam.* XIII, 19, 2 [sed. cf. Wesenbergi editionem]; *ad Att.* V, 11, 6 colligi potest C. Memmium Gemellum damnatum Mytilenas abiisse; quam in civitatem Pompeio amicam cum propter suam cum Pompeio inimicitiam non receptus esset, tum Patras exilii causa profectum eius urbis civem factum esse. — Cf. Kuhn, *l. l.* p. 71.

[8]) C. Norbanus Rhodi, dum an recipiatur deliberatur, se ipse interficit: App. *b. c.* I, 91. Liv. *ep.* 89. — Cf. Cic. *fam.* IV, 7, 4: Rhodus et Mytilene.

[9]) M. Claudius Marcellus: Sen. *cons. ad Helv.* 9. Val. Max. IX, 11, 4. — Strab. p. 617. Kuhn *l. l.* p. 21.

civitatem nobilissimam optimi iuris fuisse verisimile est[1]; Samothracam qnoque nonnulli fugerunt[2], neqne dubito, quin Samns insnla ab Angusto a. a. u. c. DCCXXXIV° libertatem adepta eodem iure uti potuerit.

Eodem tempore Snlla, cnm proscriptionis tabulas proponebat, contra leges id fecit, quoniam ei vitae necisque in cives Romanos potestas data non erat; sed genus poenac novum nullum in rempublieam induxit neque exilii iura commutavit, sed prisco iure magistratuum usus statim de condemnato supplicium sumi inssit. Adversariorum autem eius qui fngerant, enm iure se condemnatos esse negarent, plerique non in exilium abierunt, sed armis se defenderunt. Eos verisimile est propter timorem Sullae a plerisque urbibus receptos non esse[3]) neque nego Snllam foedera vix observaturum fuisse, immo severam poenam exacturnm ab iis, qui contra iussa exules admisissent[4]). Nihilominus Scipionem accepimus, licet proscriptum, civem Massiliensem factum esse et in otio ac pace vitam ibi exegisse[5]). Postea vero proscriptiones per legem *omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis . . . . quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia, quaecunque ille fecisset, essent rata,* sanctae sunt[6]);

[1]) Cic. *ad Att.* III, 6. 13. 15. 16: *„si spes erit Epirum, sin minus Cyzicum aut aliud quid sequemur"; ib.* 19. — Kuhn *l. l.* p. 19. — Miletum L. Aemilius Paullus, Lepidi frater, fugit neque, cum permitteretur, reversus est: App. *b. c.* IV, 37. — Cf. Liv. XXXVIII, 39. XLIII, 6. Cic. *Verr.* II, I, c. 34—5. *C. I. G.* 2878.

[2]) L. Julius Mocilla; eius filius; A. Torquatus: Corn. Nep. *Att.* 11.

[3]) Cf. p. 9 n. 8.

[4]) App. *b. c.* I, 95: *οὗτος γὰρ δοκεῖ πρῶτος οὓς ἐκόλασε θανάτῳ προγράψαι καὶ γέρα τοῖς ἀναιροῦσι καὶ μήνυτρα τοῖς ἐλέγχουσι καὶ κολάσεις τοῖς κρύπτουσιν ἐπιγράψαι . . . . . ἐξέλασίς τε ἑτέρων ἦν καὶ δήμευσις τῶν ἑτέροις ὄντων.* Nominnm proscriptio et delatorum praemia ad executionem pertinent, poenam ipsam non mutant. Receptatores iam pridem puniri solitos esse ex natura rei sequitur. Poenas in eos, qui condemnatos reciperent, etiam in cognitione de Bacchanalibus [Liv. XXXIX, 17] et in Ciceronis causa statutas esse traditum est. — Differentia inter *θάνατος, ἐξέλασις, δήμευσις* in factis, non in iure posita est.

[5]) Cf. p. 9 n. 2.

[6]) App. *b. c.* I, 97: *πάντα ὅσα διῴκησεν ὁ Σύλλας ὑπατεύων τε καὶ ἀνθυπατεύων βέβαια καὶ ἀνεύθυνα ἐψηφίζοντο εἶναι.* Cic. *de l. agr.* III,

atque etiam Sulla dictator, cum omnes leges sine poenae metu violare posset, quem volebat civium indicta causa impune poterat occidere. — Neque Caesaris criminalis iurisdictio in alio fundamento posita erat, quam in imperio quodam extraordinario eiusmodi, quale Sulla quondam acceperat[1]; neque alio modo triumviri reip. constituendae legibus soluti Porcias illas leges Semproniamque contemnere poterant[2]. — Ad foedera autem iure gentium constituta ius civile non pertinet; inde urbium, quae ius exilii obtinuerant, privilegia non immutata esse concludere possumus; accedit, quod L. Aemilii Paulli, Lepidi fratris, exemplum nos docet principes viros, si id eis nullum incommodum afferre videretur, foedera pie observasse[3]. In ceteris causis si qua urbs restitisset, foedus rumpere bellumque ei civitati indicere poterant; quod nunquam factum esse non est, quod miremur. Neque iudiciis e lege Pedia in eos, qui Caesarem interfecerant, constitutis Brutus Cassiusque et ceteri, qui in mortem illius coniuraverant, alia poena affecti sunt, quam aquae et ignis interdictione; sed nonnulli, cum non in iustum exilium abiissent armisque rempublicam petiissent, ut populi R. hostes occisi sunt[4].

Sed cum nimiarum opum potentia plus in dies Romani praepollerent, liberarum civitatum condiciones et iura exilii immutabantur. Atque iam liberae reipublicae extremis temporibus Romani cum barbaris quibusdam gentibus foedera

II, 5: „*Nam cum ceteris in civitatibus tyrannis constitutis leges omnes exstinguantur atque tollantur, hic reip. tyrannum lege constituit.*“ Cic. *pro S. Roscio* XLIII, 125; *de leg.* I, 15, 42 etc. — Verisimile est legis verbis omnia Sullae acta enumerata esse. — Lege certe factum est, ut proscriptorum liberis ius honorum adimeretur.

[1]) Mommsen. *Str.* II, p. 684. — Gell. XIX, 8, 10.

[2]) Mommsen *l. l.* p. 701.

[3]) De L. Aemilio Paullo cf. p. 10 n. 1.

[4]) *Mon. Anc.* c. 2: „*qui parentem meum* [interfecer]*un*[t eo]*s in exilium expuli iudiciis legitimis ultus eorum*[fa]*ci*[nus e]*t postea bellum inferentes reipublicae vici b*[is a]*cie.*“ — Vell. Pat. II, 69: „*lege Pedia . . . omnibus, qui Caesarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat.*“ — Dio XLVI, 48: *καὶ αὐτοί τε πυρὸς καὶ ὕδατος εἵρχθησαν καὶ αἱ οὐσίαι αὐτῶν ἐδημεύθησαν.* — Cf. Q. Gallii causam apud. App. *b. c.* III, 95, ex qua intellegi potest Caesarem eo tempore nondum capitales poenas ipsum inrogasse.

fecerant, in quibus exceptum erat, ne quis ex eis gentibus a Romanis civis reciperetur; quod si exceptio fecit, ne liceret, barbaris illis certe non concessum erat, ut Romanos exules reciperent. Sed eam rem minoris momenti fuisse existimo [1]) neque putaverim ullum civem Romanum in Helvetiorum vel Cenomanorum vel Insubrium vel Iapydum terris domicilium collocaturum fuisse [2]). Principatus autem temporibus, cum *liberarum* civitatum libertas imminuta esset, ea exceptione effici potuit, ne ullus exul e finibus imperii excederet.

Sed quod illa quasi fortuita singularum civitatum societas, quae orbis Romanus appellabatur, in unius imperii corpus coalescere coepit, ut ex singulis unum fieret, id maximi momenti fuisse arbitror. Postquam enim fines imperii Romani longius prolati sunt, fieri non potuit, quin plures in dies liberi homines, qui intra fines imperii Romani incolebant, civitate donarentur. Itaque omnibus Italicis populis primum civitas data est. Atque cum *exterarum nationum* sive *civitatum liberarum,* quae intra imperii terminos erant, privilegia impedimento essent, ne omnium iura aequarentur: eos, qui mutationis rerum cupidi, cum, nisi id fieret, imperium R. salvum esse non posse arbitrarentur, aequationi iuris favebant, adversus liberarum civitatum singulare ius et privilegia facere necesse erat. Neque temere nec casu accidisse puto, ut et Sulla [3]) et Pompeius urbium dignitati et decori faverent, ut

[1]) Mommsen, *Schweizer Nachstudien, Hermes XVI,* p. 448 s.: „Es ist nicht schlechthin abzuweisen, dass die Römer dabei den Zweck verfolgten, stammfremden Barbaren den Bürgerverband ein für allemal zu verschliessen; wie denn diese Clausel in den Bundesverträgen mit den latinischen Gemeinden wohl unerhört ist und nur in Bezug auf Verbündete anderer Nationalität erwähnt wird." — „Aber wenigstens für die caesarische Zeit wird man in dieser Festsetzung vielmehr eine Begünstigung zu erkennen haben, welche die Selbstständigkeit der abhängigen Gemeinde gegenüber Rom schirmen sollte."

[2]) Cic. *pro Balbo* XIV, 32. — Hirschfeld, *gallische Studien, Sitzber. d. Wiener Ak.* phil. Cl. CIII p. 293: „Ueberhaupt ist der Fortbestand einer solchen Bestimmung in der Kaiserzeit für die zum Römischen Reichsverbande gehörigen Gemeinden schwer denkbar."

[3]) Id nos nunc etiam *s. c. de Oropo* docet; in ea enim formula qua publicanis vectigalia addicuntur, tralaticio modo excipiuntur quae a R. imperatoribus templis etc. donata sunt; tum vero expresse

Caesar contra Massiliam oppugnaret, ut Brutus Cassiusque a liberis civitatibus maxime adiuvarentur. Posteaquam Caesaris partes superiores bello factae sunt, civitatum privilegiorum occasus appropinquabat. Nam Caesar postremum conatus est exules liberarum civitatum finibus includere, cum lege de vi lata ei poenam minaretur, qui eum, cui aqua et igni interdictum esset, recepisset celavisset tenuisset; ea enim lex nihil potuit in liberis civitatibus, ad quas Romanorum iurisdictio non pertinebat. Augustus autem multis civitatibus libertatem ademit, alias agro multavit, alias Latinitate aut civitate Romana donavit [1]. —

Postea vero liberarum civitatum iura commutata vel abolita esse demonstrare possumus, si iuris postliminii singula instituta consideramus. Postliminium enim fieri constat, cum persona, quae aliquod ius Romae sanctum possidet, vel res, in qua tale ius habetur, adversus suam eiusve, in cuius potestate manu mancipio est, voluntatem solum patriae vertit eoque in alieni cuiuslibet iuris provinciam venit [2]; tum enim persona resve, cum alia ei apud exteram gentem iura tribuantur, extra Romani populi tutelam posita neque *publico nomine tuta* est, cum populus non sit *nisi qui consensu iuris continetur* et cum populus alius alio iure utatur; et si non redit iure quasi mortua est, sin redit, iura Romana, quae habet quaeve in ea habentur, non amissa sunt; nam cum per omnes populos diversa et varia iura sint condita, civis Romanus nullas nisi gentis suae leges tamquam verum ius amplectitur atque, quae exterae gentis iure adquiruntur, iure

additur: *ἐκτός τε τούτων ἃ Λεύκιος Κορνήλιος Σύλλας αὐτοκράτωρ ἀπὸ συνβουλίου γνώμης θεῶν ἀθανάτων ἱερῶν τεμενῶν τε φυλακῆς ἕνεκεν χαρίζεσθαι ἔδωκεν, ὃ τὸ αὐτὸ ἡ σύνκλητος ἐπεκύρωσεν οὔτε μετὰ ταῦτα δόγματι συνκλήτου ἄκυρον ἐγενήθη.*

[1]) Paulus, *r. s.* V, 26, 3. — Dio LIV, 7. Suet. *Oct.* 47. —

[2]) *D.* 49, 15, 19 pr.: „*postliminium est ius amissae rei recipiendae ab extraneo et in statum pristinum restituendae inter nos ac liberos populos regesque moribus legibus constitutum.*“ §. 3 docet de eis tantum populis iurisconsultum h. l. loqui, qui extra fines imperii erant. — Tryphon. in *D.* 49, 15, 12, 9: „*quod in liberis* [sc. personis] *aliter erat; non enim postliminio revertebatur nisi qui hoc animo ad suos venisset, ut eorum res sequeretur illosque relinqueret, a quibus abisset.*“ — Cf. Gell. VI [VII], 18 etc.

Romano possideri posse negat. Fieri igitur postliminium non potest nisi cum gente, quae alieno iure utatur; qui autem non Romano iure utuntur, exteri sunt; contendi igitur potest, ubi postliminium sit, ibi exteras civitates esse atque etiam, quoniam quodammodo nullum nisi suum ius Romani agnoscunt, ubi exterae civitates sint, ibi postliminium esse. Nam si civitates omnes idem ius haberent, postliminium fieri non posset. Et Cicero quidem in oratione pro Balbo habita [1]) paucis annis ante Caesaris dictaturam dixit et Gaditanis et Atheniensibus, qui foederati erant, cum Romanis postliminium esse; et ex Festi libris [2]) scimus Aelium Gallum, quem iurisconsultum ante Verrium Flaccum libros suos conscripsisse constat, statuisse non solum hostibus, sed etiam liberis foederatisque populis et regibus cum Romanis postliminium esse. Prorsus autem diversam sententiam affert Proculus i. e., qui Nervae a. a. u. c. DCCLXXXVI° mortuo [3]) successit, cum dicit non esse dubium, quin inter Romanos et liberos populos postliminium non sit [4]); ex quo efficitur, ut civis Romanus captus ab hostibus, ubi liberae civitatis fines intraverit, omnia pristina iura recipiat [5]). Claudii igitur imperatoris aetate

---

[1]) Cic. *pro Balbo* XII, 29: „*quod si civi Romano licet esse Gaditanum sive exilio sive postliminio sive reiectione huius civitatis — quid est quam ob rem civi Gaditano in hanc civitatem venire non liceat?*"; *ib.* 30.

[2]) Festus, p. 218 M.: „*postliminium receptum Gallus Aelius in l. I. significationum, quae ad ius pertinent, ait esse eum, qui liber, ex qua civitate in aliam abierat, in eandem civitatem redit eo iure, quod constitutum est de postliminis .... cum populis liberis et cum foederatis et cum regibus postliminium nobis est ita, uti cum hostibus; quae nationes in opinione* [dicione: Cuiac.] *nostra sunt, cum his* [postliminium non est: Cuiac.]." — Cf. Kuhn, *l. l.*, n. 156.

[3]) Pomp. in *D.* I, 2, 2, 52. — Tac. *ann.* VI, 32, [26]. — Karlowa *Roem. Rechtsgesch.* I² p. 689 ss.

[4]) *D.* 49, 15, 7 pr.: „*non dubito quin* [quamvis M.] *foederati et liberi nobis externi sint, nec inter nos atque eos postliminium esse: etenim quid inter nos atque eos postliminio opus est, cum et illi apud nos et libertatem suam et dominium rerum suarum aeque atque apud se retineant et eadem nobis apud eos contingant?*" — Cf. *eod.* l. 5, 1.

[5]) Paul. *ad Sabin.* in *D.* 49, 15, 19, 3: „*postliminio redisse videtur cum in fines nostros intraverit, sicuti amittitur, ubi fines nostros excessit. Sed etsi in civitatem sociam amicamve aut ad regem socium vel amicum venerit, statim postliminio redisse videtur, quia ibi primum nomine*

liberae ac foederatae civitates, quae Augusti temporibus vere exterae fuerant, partes Romani imperii fuerunt, quamquam, quod foederatae quasi honoris causa appellabantur, *exterae* dicebantur[1]). Quae cum ita essent, quoniam iuris exilii fundamenta in exteris civitatibus posita erant, civitates autem vere exterae ac sui iuris, Romanis legibus solutae intra imperii Romani fines reperiri iam non poterant, nullum in orbe Romano exulibus perfugium patebat atque exilium ex aquae et ignis interdictione in aliud poenae genus commutabatur.

Itaque nullius sub principatu iustum exilium auctores nostri memoriae tradiderunt, si causam Volcacii Moschi omittimus, qui sub Augusto veneficii damnatus Massiliam abiit eique civitati bona sua ut patriae reliquit a. a. u. c. DCCLXXVIII°; quod iam tunc tam extraordinarium visum est, ut senatus Romae de eius testamento decerneret; *probatumque P. Rutilii exemplum*[2]). —

Sed etiam alia ratione liberarum civitatum condicionem eo tempore totam commutatam esse probari posse mihi quidem videtur. Nam si urbium in oriente sitarum iura consideramus, primum constat Romanos et Tei[3]) et Stratoniceae[4]), liberarum civitatum, asylum confirmasse seque non violaturos esse promisisse; deinde senatum, cum de asylorum iure

publico tutus esse incipiat." Secunda huius loci pars additamentum esse videtur. — Conferas Hugon. Grotium *l. l.* III, 9, 2 ss. qui do nonnullis rebus, ut mihi quidem videtur, non recte iudicat, et foedera apud Polybium l. III.

[1]) Verisimile est cum postliminio in liberis civitatibus rem nummariam [Mommsen, *R. Münzwesen*, p. 728], et ius, quod ad vectigalia pertinet, immutata esse [Suet. *Oct.* 47]; haud scio an idem dicendum sit de iurisdictiono et rebus militaribus. —

[2]) Cf. p. 9 n. 2. [Tac. *ann.* IV, 43.] et p. 7 n. 4.

[3]) *C. I. G.* 3045: *κρίνομεν εἶναι τὴν πόλιν καὶ τὴγ χώραν ἱερὰν καθὼς καὶ νῦν ἐστὶν καὶ ἄσυλον καὶ ἀφορολόγητον ἀπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων καὶ τά τε εἰς τὸν θεὸν τίμια καὶ τὰ εἰς ὑμᾶς φιλάνθρωπα πειρασόμεθα συνεπαύξειν διατηρούντων ὑμῶν καὶ εἰς τὸ μετὰ ταῦτα τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν.*

[4]) *Τὸ ἱερὸν τῆς Ἑκάτης ὅπως ἦ[ι ἄσυλον* — de quo supplemento dubitari non potest; cf. *bull. de corresp. hell. 1885.* — Foedera cum Astypalaea et cum Termesso non tota exstant.

decerneret, *sociorum pacta* introspexisse Tacitus tradit [1]); tum ex multis titulis Graecis intellegitur asyli ius alterius civitatis ab altera confirmatum esse eodem foedere, quo societas iniretur [2]). In multis denique Graecarum urbium nummis etiam, postquam Asia et Graecia in provinciae formam redactae sunt, *ἄσυλος καὶ αὐτόνομος* inscriptum invenimus. Quae cum ita sint, conicere possumus asyli ius cum liberarum civitatum condicione quadam ratione conexum atque coniunctum esse. Namque asylum non nisi in sacro solo esse posse nemo est, qui neget, quoniam nullus locus nisi, qui sacer est, inviolabilis fieri potest. Provinciale autem solum iurisconsulti Romani sacrum esse posse negant [3]), quippe cuius dominium penes populum Romanum sit, possessio tantum atque ususfructus, ut penes peregrinos homines, ita penes peregrinos deos esse possit; atque sacrum id solum esse contendunt, quod pontifices ex publica populi Romani auctoritate consecratum actu quodam a Mommseno [4]) cum privati iuris mancipatione comparato deis Romanis adquisiverunt. Quo iure Romanos reapse usos esse ex ea epistula intellegi potest, qua Traianus, cum a Plinio interrogatus esset, nonne putaret aedem Magnae Matris Nicomedensis salva religione posse transferri, respondit sine sollicitudine religionis eam transferri posse, cum solum peregrinae civitatis capax non esset dedi-

---

[1]) Tac. *ann.* III, 60: „*multae* [civitates] *vetustis superstitionibus aut meritis in populum R. fidebant; magnaque eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam, qui ante vim Romanam valuerant, decreta ipsorumque numinum religiones introspexit.*“ — „*Beneficia*“ ad liberas, „*pacta*“ ad foederatas civitates pertinent.

[2]) Cf. *C. I. G.* 2557 et 3045—3058.

[3]) Gaius II, 5: „*sed sacrum quidem solum tantum existumatur auctoritate populi Romani fieri; consecratur enim lege de ea re lata aut s. c.*° *facto*“; *ib.* §. 7: „*sed in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi R. est vel Caesaris, nos autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur; utique tamen eiusmodi locus, licet non sit religiosus, pro religioso habetur, quia etiam, quod in provinciis non ex auctoritate populi Romani consecratum est, proprie quidem sacrum non est, tamen pro sacro habetur.*“ — *D.* I, 8, 6; l. 9.

[4]) Mommsen, *Str.* II, 58 s.

cationis, quae Romanorum iure fieret[1]). Quare cum nullum asylum nisi in sacro solo esse, sacrum autem solum provinciale esse non possit, haud dubium est, quin nullum in solo provinciali asylum esse possit. Sed cum, ut supra diximus, haec esset quondam liberarum civitatum condicio, ut non provinciae partes, sed exterae essent, quarum iura a Romanis confirmarentur et observarentur, dedicationem vel sacra in liberis civitatibus a Romanis ut iure facta observata esse necesse est; atque, cum nulla Graeca civitas proprium templum non haberet, omnes liberas Graecorum civitates asyli ius habuisse effici videtur. Quam causam etiam per inductionem probari posse credo; nam Syriae[2]) urbes liberae plerumque in nummis *ἄσυλοι* appellantur et in Cilicia[3]) et in ceteris Asiae minoris provinciis[4]), quae de civitatum libertate et quae de urbium *ἀσυλία* nobis tradita sunt, persaepe

---

[1]) Plin. *ad Trai.* 49–50 [58—59]. — Cf. Cic. *Verr.* II, 1, 34, 85.

[2]) Collectanea mea pleraque ex Eckhel, *d. n.* IV, 306, et Marquardt, *Stsverw.* I, passim, snmpta adscribo: et asyli ins et libertatem habuisse in Syria effici potest: Abilam, Antiochiam utramque [*C. I. G.* 4476 a], Apameam, Arethusam, Ascalonem, Byblum, Doram, Epiphaniam, Gadaram, Gazam [*ib.* 5892], Laodiceam in Syria superiore sitam [Marq. *l. l.* p. 394 n. 2], Raphiam, Scythopolim, Seleuciam Sidonem, Tripolim, Turrim Stratonis, Tyrum. [*C. I. G.* 5853. D. L, 15, 1 pr.] — Liberaene fuerint Larissa, Ptolemais, Rhosus, quae urbes asyli ius habuerunt, nescimus; et Amathnm Paphum Salamina asyli ius vindicasse Tacitus [*ann.* III, 62] narrat; iurene vindicaverint, non dicit. — Jamncia, Samaria, Azotns, Cyrrus, Dium, Gerasa, Pella, Laodicea, Anthedon, Canatha, Balanea, Beroea, Philadelphia liberae civitates fuisse videntur, quamquam in nummis earum asyliae mentionem non invenio; quorum vero oppidorum nummi partim omnino non exstant, partim non autonomi, partim perpauci. Similis est Aradi causa. — In titulo nuper *Laginae* reperto praeter senatusconsultum illarum civitatum nomina inscripta sunt, quae Stratoniceae asyli ius se observaturas esse promittebant: eas quoque liberas et asyli iure praeditas fuisse conici potest. [Fragmenta M_2 et N_2.]

[3]) Urbes liberae, quae asyli ius habebant, in Cilicia: Aegae, Corycus, Mopsucstia, [*C. I. G.* 5885] Tarsns.

[4]) Aphrodisias [*C. I. G.* 2737. Tac. *ann.* III, 62], Cos [*ib.* IV, 14], Ephesus [*ib.* III, 61. Eckhel, *l. l.*], Magnesia [Tac. *ann.* III, 62], Samus [*ib.* IV, 14], Smyrna [*ib.* III, 63. *C. I. G.* 3137], Stratonicea [*s. c. Laginense.* *C. I. G.* 2715. Tac. *ann.* III, 62], Teos [*C. I. G.* 3045—3058] utrumque ius habuisse videntur.

ad easdem urbes pertinent. Sed ea res diligentiorem inquisitionem desiderat[1]).

Graeco verum in verbo *ἄσυλον* multo maior vis inest, quam in eo, quod Romae Romani nonnunquam asylum nuncupavere. Nam cum leges, ut Callistratus iurisconsultus ait[2]), omnibus hominibus aequaliter tribuerent securitatem, Romani noluerunt Romae eiusmodi perfugium esse, ut homines a deis in causis criminalibus adiuvarentur[3]); sed *servis ad statuam licet confugere; cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune ius animantium vetet*[4]). In Graecia vero *eodem subsidio suspecti capitalium criminum receptabantur*, atque asyla, ut Romanorum exilia, perfugia portusque supplicii erant[5]). Accedit, quod, cum Graeco iure iidem homines complurium civitatum cives esse possent, Romanum illud, in quo totius iuris exilii fundamenta posita erant, neminem duarum civitatum civem esse posse cum Graecis moribus minime congruebat[6]). Itaque exilium cum asylo facile confundi poterat, praesertim cum, quae urbes asyla essent, eaedem exilii ius haberent. Quae cum ita sint, non est cur miremur multos exules, quoniam in liberis civitatibus iure asyli tuti erant, civitatem non statim aut omnino non mutasse[7]).

---

[1]) In nummis Epidaurus nonnunquam *ἄσυλος* appellatur, Sikyon in Goltziano [cf. Spanhemius, *de usu et praestatione nummorum*, diss. IX, p. 778. — Cic. *Verr.* II, I, 17, 44.] — Oropi asylum confirmatum esse scimus. — Cf. Mionnet, *descr. etc.*, II, p. 139.

[2]) *D.* 48, 19, 28, 7.

[3]) Cf. de Romuli asylo clauso Cassium Dionem XLI, 19. — *D.* XXI, 1, 17, 12. I, 6, 2. — Pauly, *Realenc. s. v. asylum.* Schoemann, *griech. Staatsaltth.* II, 185—9. Thuk. V, 16. — Flaminis autem Dialis virginumque Vestalium privilegia non gravia sunt.

[4]) Sen. *de clem.* I, 18, 2. Cf. Tac. *ann.* III, 36.

[5]) Cf. *C. I. G.* 3046.

[6]) Cf. illa de proxenia decreta. — Cic. *pro Balbo* XII, 29: *„atqui ceterae civitates omnes non dubitarent nostros homines recipere in suas civitates, si idem iuris nos haberemus, quod ceteri; sed nos non possumus et huius esse civitatis et cuiusvis praeterea; ceteris concessum est; itaque in Graecis civitatibus videmus Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique ascribi multarumque esse eosdem homines civitatum.“* — Cf. Corn. Nep. *Att.* 3 cit.

[7]) E Cicerouis epistulis colligi potest eum civitatem non mu-

Sed cum liberae civitates imperii Romani partes factae essent et *Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi* crebresceret[1]), quoniam in earum solo provinciali atque profano asyla esse non poterant, non solum multa eiusmodi privilegia rescissa, sed etiam omnibus asylis nihil nisi Romanum illud artis finibus circumscriptum ius concessum esse videtur[2]). Quae cum a senatu, cui a. a. u. c. DCCLXXVI° ea inquisitio mandata erat, tractata atque decreta essent, ἀσυλία urbium nihil fuit nisi ornamentum et nomen inane. —

Quoniam satis constat cives Romanos exulantes statum suum mutasse, videamus, quo tempore cives Romani esse desierint. Neque dubium est, quin veteribus temporibus populus Romanus civi Romano civitatem adimere potuerit, quoniam, qui trans Tiberim venditus aut hostibus deditus aut incensus aut sestertio nummo uno mancipatus aut addictus erat, cum libertate etiam civitatem invitus amittebat[3]). Cicero vero dicere solebat neminem invitum civitatem amittere neque

---

tasse. Nam non ante mensem Septembrem consilium Thessalonica in Asiam eundi deposuit [*ad Att.* III, 19.]; tum vero in Epirum proficisci voluit; postea, cum mox Romam rediturum esse speraret, ante Kal. Dec. Dyrrhachii fuit neque post comitia civitatem deposuit.

[1]) Tac. *ann.* III, 60: „..... *complebantur templa pessimis servitiorum; eodem subsidiò obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur, nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis.*“ Animadvertas servos a liberis separatos esse.

[2]) Itaque quae nobis traduntur inter se non pugnant: Suet. *Ti.* 37: „*abolevit et ius moremque asylorum, quae usquam erant;* „qui auctor certe scit sua etiam aetate permultas urbes ἀσύλους appellari; sed Graecum illud asyli ius abolitum erat. — Tac. *ann.* III, 63: „*factaque s. c.*ª, *quis multo cum honore modus tamen praescribebatur iussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam neu specie religionis in ambitum delaberentur.*“ *Multo cum honore:* nam nomen „ἄσυλος“ concessum; *modus:* nam ius circumcisum est. — Romanum illud asyli ius omnes principum statuae habent. —

[3]) Non obstant Ciceronis fictiones atque cavillatio, *pro Caec.* XXXIV: „*populus cum eum vendit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iudicat non esse eum liberum, qui, ut liber sit, adire periculum noluit; cum autem incensum vendit, hoc iudicat, cum ei, qui in servitute iusta fuerunt, censu liberentur, eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicavisse.*“

ulli civi ne a populo quidem caput adimi posse[1]; quare *tum amittitur* Romana civitas *cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam civitatem.* Neque dubium esse arbitror, quin ea res se ita habuerit, praesertim cum Cicero idem compluribus locis affirmet atque etiam narret se adolescentulum eam causam probasse; accedit, quod idem e lege Julia municipali[2] colligi potest, quae vetat eos decuriones fieri, qui iudicio publico Romae condemnati sint; nam si post condemnationem rei cives esse non potuissent, haec pars legis supervacanea fuisset[3]. Quamquam concedo multos damnatos iam tunc, ut ipsa lex docet, civitatem omnino non mutasse atque nonnullos fortasse iurisconsultos iam tunc contendisse statum ipsa condemnatione mutari[4]. Ne ille quidem Gai locus, quo legis cuiusdam Corneliae mentionem facit, Ciceroni opponi posse mihi quidem videtur[5]; nam cum apud illum scriptum inveniamus: *cum autem is, cui ob aliquod maleficium ex lege Cornelia aqua et igni interdicitur, civitatem Romanam amittat* — lex Cornelia non ad amissionem civitatis pertinere videtur, sed ad interdictionem, ut

---

[1]) Cic. *de domo* XXIX, 77: „*cum hoc iuris a maioribus proditum sit, ut nemo civis R. aut sui potestatem aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit*“ etc.; *ib.* XXX, 78; *pro Caec.* XXXIII, 96: „*sed quaero de te putesne, si populus iusserit me tuum aut item te meum servum esse, id iussum ratum atque firmum futurum? perspicis hoc nihil esse et fateris .... deinde nihil rationis afferс, quam ob rem, si libertas adimi nullo modo possit, civitas possit;*“ *ib.* XXXIV, XXXV, 101; *pro Balbo* XI, 27: „*neque mutare civitatem quisquam invitus potest neque, si velit, mutare non potest, modo asciscatur ab ea civitate, cuius esse se civitatis velit.*“ — Cf. Sabinum apud Tryphonin. in *D.* 49, 15, 12, 9: „*de sua (qua) civitate cuique constituendi facultas libera est.*“

[2]) *L. Jul. mun.* c. 25. 27.

[3]) Quod primus M. Cohn, *capitis deminutio*, p. 86—7, ostendit, cui in hac parte libri eius magis assentior, quam in ceteris.

[4]) *D.* 50, 7, 18: „*itaque eum, qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere; quem hostes si non recepissent, quaesitum est, an civis R. maneret: quibusdam existimantibus manere, aliis contra, quia, quem semel populus iussisset dedi, ex civitate expulsisse videretur, sicut faceret, cum aqua et igni interdiceret; in qua sententia videtur Q. Mucius fuisse.*“ Facile intellectu esse videtur non ipsa Q. Mucii verba adscripta esse.

[5]) Gaius I, 128: „ .... *sequitur, ut, qui eo modo ex numero civium R. tollitur, proinde ac mortuo eo desinant liberi in potestate eius esse.*“

fortasse contendi possit Gaium putasse interdictionis poenam a Sulla primo constitutam esse, civitatis amissionem non item. Sed etiamsi concederemus Gaium putasse Sullam eam de civitatis amissione legem tulisse, illam opinionem falsam esse contenderemus.

Ea vero iura omnia sensim commutata sunt, cum plures in dies exules, tametsi solum verterant, tamen civitatem non deponerent, pars restitutionis spe commoti, pars fortasse asylis tuti[1]; quare novum genus eorum hominum exstitit, qui omnibus fere Romanorum iuribus carebant nec tamen servi neque ullius civitatis cives erant. Itaque eo tempore, quo, ut supra dictum est, antiqua liberarum civitatum privilegia nihil iam valebant, quoniam Romani exules civitatem mutare non poterant, iurisconsulti Romani ea, quae erant in usu vitaque communi, spectantes eodem modo, quo Latinum ius sine certae Latinae urbis civitate, peregrinitatem sine certae peregrinae urbis civitate fingebant, ut exules essent peregrini nullius certae civitatis cives sive *ἀπόλιδες*. Quoniam autem eisdem verbis iurisconsulti eos definiunt, qui *dediticiorum numero* sunt[2], Mommsen inde conclusit etiam exules dediticiorum numero esse[3]: atque ea argumenta mihi quidem videntur confutari non posse. Quae cum ita essent, cum exules in aliam civitatem iam non reciperentur et tamen capite minuerentur, necesse erat reos ipsa condemnatione

[1]) Cf. Ciceronis causam; *legem Juliam municipalem* modo memoratam.

[2]) Ulp. X, 3: „*peregrinus fit is, cui a. et i. interdictum est.*" — Marcian. in *D.* 48, 19, 17, 1: „*item quidam ἀπόλιδες sunt, hoc est sine civitate: ut sunt in opus publicum perpetuo dati et in insulam deportati, ut ea quidem, quae iuris civilis sunt, non habeant, quae vero iuris gentium sunt, habeant.*" — Ulp. in *D. de leg.* III, 1, 2. — Ulp. XX, 14 s.: „*is, qui dediticiorum numero est, testamentum facere non potest: . . . . quoniam nec quasi civis Romanus testari potest nec quasi peregrinus, quoniam nullius certae civitatis civis est, ut secundum leges civitatis suae testetur.*"

[3]) Mommsen, *Mtsber. d. Berlin. Ak.* 1879 p. 501 ss. — Cf. Huschke, *die jüngst aufgefundenen Bruchstücke aus Schriften R. Juristen*, 1880. P. Krüger in *Ztschr. d. Savigny-Stiftung, Rom. Abth.* I [1880] p. 98 ss. M. Cohn, *ib.* II p. 90 ss. A. Schneider, *ib.* VI p. 198 ss. E. Hoelder, *ib.* VI p. 217 ss. — Brinz, *die Freigelassenen der l. Aelia-Sentia u. das Berlin. Fgmt. von den Dediticiern*, 1884. — Karlowa, *R. Rchtsg.* I[2] p. 767.

statum mutare et, simulatque condemnati sint, civitatem amittere [1]). —

Reliquum est, ut de publicatione bonorum disseramus. Antiquo enim iure condemnatorum sive de eis supplicium sumptum esset, sive exilii causa solum vertissent, bona publicata esse satis constat. Nam non solum quasdam leges et caput et bona sacra esse iussisse [2]), sed etiam populum antiquum illum rigorem atque severitatem in quibusdam causis adhibuisse nobis traditum est [3]). Quaestionum perpetuarum autem sententias publicationes bonorum non sequebantur atque eo legitima iudicia a proscriptionibus maxime differebant [4]). Itaque extremis liberae reipublicae temporibus bona damnatorum perveniebant ad heredes, qui antea publicatis bonis eodem, atque condemnati, damno adfecti erant [5]). Romani enim arbitrabantur, *cum ratio naturalis quasi lex quaedam tacita liberis parentium hereditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando*, aequissimum esse *rationem haberi liberorum* [6]); liberi igitur vel agnati in opes eius, qui

---

[1]) Zumpt *Cr.-Pr.* p. 464, perverse scribit: „Also blieben die Geächteten Bürger, behielten auch bis Caesar ihr Vermögen, aber sie verloren ihr caput" atque hunc locum affert [*D.* 48, 1, 2]: „*per has poenas eximitur caput de civitate.*" —

[2]) Liv. II, 8. III, 55. Dion. IV, 15. VII, 17. Plut. *Romul.* 22. — Cf. Mommsen, *Str.* I, 142.

[3]) Liv. II, 41. IV, 15—16. Dio *fr.* 26. Mommsen, *R. F.* II. 153—220. — Cf. Liv. IV, 21. — Epitomator in narratione de Caepione Livii relationem non accurate reddidisse certum est. [*ep.* 67.] — Adde: Liv. III, 58. Dion. XI, 46. — Liv. II, 5. Dion. V, 13. — Liv. XXV, 4; XXXIX, 17. — Cic. *de domo* XXIV, 62: *post red. in sen.* VII, 18. — Liv. VIII, 20; *ep.* XIV; XXIII, 17; XXVII, 24; XXIX, 8; 36; XLV, 28.

[4]) Liv. *ep.* 89. App. *b. c.* I, 95. Cic. *pro S. Roscio* XLIII, 126 ss. — Cf. etiam *l. l.* apud Pauly, *Realenc. s. v.* „*proscriptio*" et Cic. *de domo* XVII.

[5]) Solet familia genti, gens civitati anteponi; in his vero causis civitas et familiae et genti anteponitur.

[6]) Dion. VIII, 80 proculdubio permulta falsa continet. Sed non dubito quin Graecus ille rhetor non omnia confinxerit. — Cf. *D.* IV, 5, 3 pr. 48, 19, 26. — Cic. *de domo* XVIII, 46: „*quid indignius, quam, qui neque adesse sit iussus, ... de eius capite, liberis, fortunis omnibus conductos et sicarios suffragium ferret?*" — *D.* 48, 20, 7.

capite minutus erat, succedebant, acsi mortuus esset. Ceterum qui divites fuerant, etiam post status mutationem, quandoquidem heredes familiaritatis necessitudinisque plerumque non oblitos esse verisimile est, minime inopia premebantur, praesertim cum facultatem haberent per fiduciaria pacta patrimonium retinendi; reos enim, antequam civitatem amitterent, bona sua cuilibet familiari mancipare potuisse, ut is ea post status permutationem redderet, constat[1]). Quae cum ita essent et cum nonnulli exules civitatem omnino non deponerent, quoniam poena non multum ad iura privata attinebat[2]), Caesar dictator *poenas facinorum auxit et parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit*[3]); sed nescimus, quinam *parricidae* illi fuerint et utrum novum illud ius consuetudine an edicto an lege introductum sit[4]). Atque ea quoque via pristina et diu intermissa iura principes reduxisse videntur; et ego quidem puto eam causam fuisse, cur poenae inter se differrent, quod iudices aliis temporibus populus et infinitae potestates, aliis magistratus cum quaestionibus essent.

Itaque vetus exilii ius primis principatus temporibus, cum orbis Romanus coalesceret in unius imperii corpus, ut nullum condemnatis perfugium relinqueretur, paulatim exolescebat. Publicatio autem bonorum reducta erat et condem-

---

[1]) Val. Max. IV, 2, 7: „*Caelii vero Rufi ut vita inquinata, ita misericordia, quam Q. Pompeio praestitit, probanda: cui a se publica quaestione prostrato, cum mater Cornelia fideicommissa praedia non redderet atque iste auxilium suum litteris implorasset, pertinacissime absenti adfuit. Recitavit et eius epistulam iudicio ultimae necessitatis indicem, qua impiam Corneliae avaritiam subvertit.*“ — *Ib.* IV, 2, 6: „*Caninius Gallus ... reum admirabilem egit ..... M. Colonium, a quo damnatus fuerat, rerum suarum procuratorem habendo.*“

[2]) Suet. *d. Jul.* 42: „*integris patrimoniis exulabant.*“

[3]) Suet. *l. l.* — Cf. Festum p. 246 M.; Gellius VI [VII], 3, 37: „*minus dimidium familiae multa esto,*“ verba veteris cuiusdam legis.

[4]) Nic. Antonius, *de iuribus exulum*, II, 15, 9 putat non lege scripta, sed consuetudine introductum esse. — Fieri potest, ut h. l. parricidae appellentur: rei maiestatis, vis publicae, parricidii, veneficii, inter sicarios; aut ei soli bonis omnibus multati sunt, qui e lege Pompeia damnati erant.

nationem capitis minutio sequebatur, ut nova exilii capitalis poena constitui posset et deportatio in locum aquae et ignis interdictionis succederet[1]).

b. De origine deportationis et relegationis.

[Edictum Augusti; edictum Tiberii; edicto relegati; lege relegati; certorum locorum assignatio.]

Quamquam ex eis rebus, quae nobis de primis principatus temporibus traditae sunt, non multa ad ius pertinent, tamen deportationis poenae initia quibusdam vestigiis indagata afferre possumus. Ad eam enim poenam instituendam quod edictum Augustus a. a. u. c. DCCLXV⁰ proposuit, id magnum habuit momentum;[2]) in eo enim vetuit, ne quis, cui aqua et igni interdictum esset, propius continentem quinquaginta milibus passuum habitaret, ut tum primum exules in insulas includerentur atque plerisque liberis urbibus interdicerentur, exceptis, ut Dio, quamquam causas se ignorare profitetur, tradit: *πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου.* Quae verba interpretibus magnas difficultates afferebant.[3]) Nam cum primo et secundo et quarto loco memoratae insulae minus quam L milia passuum a continenti distent, Sardinia autem plus distet; cum illae liberas con-

[1]) *D.* 48, 13, 3. — 48, 19, 2: *„deportatio in locum a. et i. i. successit.“* —

[2]) Dio LVI, 27, 2—3: *ἐπειδή τε συχνοὶ φυγάδες οἱ μὲν ἔξω τῶν τόπων, ἐς οὓς ἐξωρίσθησαν, τὰς διατριβὰς ἐποιοῦντο, οἱ δὲ καὶ ἐν αὐτοῖς ἐκείνοις ἁβρότερον διῆγον, ἀπηγόρευσε μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσοι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου σταδίων ἀπέχουσι πλὴν Κῶ τε καὶ Ῥόδου Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου· ταύτας γὰρ οὐκ οἶδ' ὅπως μόνας ὑπεξείλετο. ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαι ἄλλοσε μήτε πλοῖα πλείω φορτηγοῦ τε ἑνὸς χιλιοφόρου καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι μήτε δούλοις ἢ καὶ ἀπελευθέροις ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι μήτ' οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν, τιμωρηθήσεσθαι καὶ αὐτοὺς ἐκείνους καὶ τοὺς ἄλλους τούς τι παρὰ ταῦτα συμπράξαντάς σφισιν ἐπαπειλήσας.*

[3]) Cf. Nic. Antonius, *de iuribus exulum* II, 5, 4. — Holtzendorff, *die Deportationsstrafe im R. Alterth.* p. 31 s.

tineant civitates, Sardinia antem provincia sit neque ullam populo Romano amicam vel liberam civitatem contineat, necesse est miremur hnins inter illas Asiae insulas mentionem fieri neque, cum **Samus** inter illas insnlas sita sit, dubium esse arbitror, quin pro *Σαρδοῦς*: *Σάμου* legendum sit. Atque quamqnam non omnes difficultates hac coniectura expeditas esse concedo, quia hoc loco haec quaestio exsistit, cur eae ipsae insulae exceptae sint, tamen eam quoqne profligari ac paene tolli posse putaverim. Nam eas insulas veteribus foederibus, asylis, principis amicitia longe optima condicione fuisse constat, nt, quibus de causis Augustus eis exilii ius non ademerit, in universum cognoscere possimus.[1]) Secunda verum edicti pars demonstrat morem a Caesare de interdictorum bonis institutum iam exolevisse, qnoniam Augustus edixit, ne quis interdictorum plus quam quingena sestertia possideret; qua in re etiam postea certus mos non servabatur, cum iam de universo bonorum publicationis iure non dubitaretur. Tertia denique edicti parte docemur etiam intra fines edicto constitutos interdictos insulam sibi eligere non potnisse, sed certam nnicuique, cum nullum iam usquam perfugium pateret, assignatam esse et, ut exules impedirentur, qnominns, ut vellent, se moverent, constitutum esse, ne quis plus quam certum numerum aut navium aut servorum et libertinorum haberet.

Anno vernm DCCLXXVI° a. u. c. Tiberius aqua et igni interdictis testamenti factionem ademit;[2]) peregrini autem testamenti factione carent;[3]) tunc demum igitur status exulum fixns

---

[1]) Rhodus Graecarum urbium prope veterrimum cum Romanis foedus habuit et Rhodi Tiberius vixit; Coi vetus illud Aesculapii asylum erat; Samum Augustus fovebat; Mytilene vetus exilium erat atque paulo ante Agrippae domicilium, qui in titulo quodam *κτιστὴς* appellatur. Cf. Tac. *ann.* VI, 9. Dio LVIII, 18, 3—4.

[2]) Id enim e Dionis loco colligi potest, tametsi hoc solum Graecus ille scriptor narrat testamenti *faciendi* ius eis ademptum esse: *ἀπεῖπε δὲ ὁ Τιβέριος τοῖς πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθεῖσι μὴ διατίθεσθαι καὶ τοῦτο καὶ νῦν φυλάττεται.* Dio LVII, 22, 5.

[3]) Gaius II, 218: „*tunc autem vitio personae legatum non valere, cum ei legatum sit, cui nullo modo legari possit, velut peregrino, cum quo testamenti factio non sit.*"

et circumscriptus est atque inde immutatus permansit.[1]) Ex quo etiam concludi potest tunc reum, simulatque condemnatus esset,[2]) capite minutum esse, civitatem amisisse. Itaque cum ea status mutatio ad omnia omnino iura exulum attineret, tunc demum nova poena constituta erat, deportationem dico. Atque eam Tiberii constitutionem cum asyli iuribus eodem et sequenti anno abolitis conexam coniunctamque esse et, quod Tacitus eius ipsius anni res narrans primum verbo *deportare* utitur,[3]) non casu, sed certa quadam ratione factum esse puto. Nam a. DCCLXXVI° deportationis poena in rempublicam inducta est. —

Deinceps de eo iuris instituto dicendum est, quo, ut supra in edicto Augusti vidimus, antiquum illud exilii ius commutatum est atque domicilii eligendi facultas exulibus erepta; quae certorum locorum interdictio quondam non ex iudicis sententia, sed ex iussu magistratus pendebat, qui ea ad coercendum utebatur. Nam ut consulum ius per lictores summovendi, ut aedilium ius foro interdicendi[4]) omittam: simili certe modo magistratus omnino in eos, qui Romae aliove quo loco manebant, quamquam proprium ibi commorandi ius non habebant, imperio suo utebantur. Et peregrinos quidem persaepe Roma expulsos esse auctores narrant; Volscos enim in fabula de Coriolano ficta ob coniurationis metum ex urbe eiectos esse traditum est;[5]) quos

[1]) Gaius l. XVII. *ad ed. prov.* in *D.* 28, 1, 8, 1—2: „*si cui a. et i. interdictum sit, eius nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id, quod postea fecerit; bona quoque, quae tunc habuit, cum damnaretur, publicabuntur aut, si non videantur lucrosa, creditoribus conceduntur. In insulam deportati in eadem causa sunt.*“ Causam, cur hoc loco a. et i. interdicti a deportatis distinguantur, eam esse puto, quod in edicto, cum aliae aliis temporibus partes tralaticiae factae sunt, utrumque verbum inveniebatur. — *D.* h. t. 7, 3.

[2]) *D.* 48, 19, 2: „*constat, postquam deportatio in locum a. et i. interdictionis successit, non prius amittere quem civitatem, quam princeps deportatum in insulam statuerit; praesidem enim deportare non posse nulla dubitatio est; sed praef. urbi ius habet deportandi statimque post sententiam praefecti amisisse civitatem videtur.*“

[3]) Tac. *ann.* IV, 13: „*Vibius Serenus . . . de vi publica damnatus ob atrocitatem morum in insulam Amorgum deportatur.*“ —

[4]) Cf. *D.* I, 19, 3. — 48, 19, 9, 4.

[5]) Liv. II, 37. Dion. VIII, 3.

a consulibus e senatus consulto abire iussos esse ex eo apparet, quod praecones iussa pronuntiaverunt.[1]) Latini quoque nonnunquam edicto eiecti[2]) et exterarum nationum legati vel extra urbem manere iussi sunt[3]) vel intra certum diem Italia excedere[4]) vel custoditi sunt, dum ex Italia abiissent.[5]) Atque notum illud senatus consultum, quo M. Pomponio praetori mandatum est, ut curaret philosophi et rhetores *uti Romae ne essent,*[6]) quippe qui non essent cives Romani. Postea autem histriones persaepe expulsi sunt, cum coercitio in eos *magistratibus omni tempore et loco lege vetere* permissa esset.[7]) Sed cum Gabinius consul L. Lamiam, civem Romanum, relegasset edixissetque ut ab urbe abesset milia passuum ducenta, *quod ante id tempus civi Romano Romae contigit nemini,* Cicero dixit consulem illum ausum esse *civium omnium novis et inauditis edictis ius libertatemque pervertere.*[8]) At alia causa et M. Fulvii et Catonis Uticensis,[9]) qui *sub mini-*

[1]) Cf. Mommsen, *Str.* I, 347—350.

[2]) Liv. XXXIX, 3. XLI, 9. — Cic. *pro Sestio* XIII, 30: *„nihil acerbius socii et Latini ferre soliti sunt, quam se, id quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus iuberi; atque illis tum erat reditus in suas civitates, ad suos Lares familiares“* etc.

[3]) Liv. XXX, 21. XLV, 22. XXII, 58.

[4]) Liv. VI, 17, 7—8. XXXVII, 1. 49. XL, 48. — Sall. *Iug.* 35: [„Iugurtha] *iussus a senatu Italia decedere.“*

[5]) Liv. XXIII, 6, 7. XLII, 36: a lictoribus custodiuntur.

[6]) Suet. *rhet.* 1 = Gell. XV, 11: *„C. Fannio Strabone M. Valerio Messala coss. M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et rhetoribus de ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, uti ei e republica fideque sua videretur, uti Romae ne essent.“*

[7]) Suet. *Aug.* 45. Tac. *ann.* IV, 14. XIII, 25.

[8]) Cic. *fam.* XI, 16, 2; *ib.* XII, 29; *pro Sestio* XII, 29; *post red. in sen.* V, 12. — Verbo *„relegare“* Cicero in hac causa enarranda plerumque utitur.

[9]) Liv. XL, 41: *„senatus factum est consultum, ut M. Fulvius in Hispaniam relegaretur ultra Novam Carthaginem; litteraeque ei datae sunt a consule ad P. Manlium in Hispaniam ulteriorem deferendae.“* Ergo mandati causa missus est. Vell. Pat. II, 45. — Cf. Suet. *Otho* 3. Tac. *hist.* I, 13. — Adde, quod quidam putant Iuvenalem, ut praefectus cohortis esset, in Aegyptum aut in Scotiam relegatum esse; ad quam causam animum meum advertit Rubensohn, doctissimus iuvenis, cui cum ob alia tum ob hoc gratias ago. — Cf. Vahlen, *Berl. Ak.* 1883: *„Iuvenal u. Paris.“*

sterii titulo, non iustae relegationis causa trans mare missi sunt. Similior etiam poenae, quoniam si non domi attamen militiae neque coercitio neque relegandi facultas magistratibus adempta erat, Cannensium Fulvianarumque legionum in Siciliam relegatio est.[1]) Quoniam provincia civis Romani patria esse non potuit, cives etiam Romani e provinciis relegari potuisse videntur; et Marius ex Africa expulsus[2]) et Cicero a praetore Siciliae non receptus est.[3]) Sed etiam in urbe ipsa magistratus relegationem in cives adhibebant. Nam, quamquam, ut mihi quidem videtur, sententiae de capitalis rei damnatis nihil aliud continebant nisi, ut reo aqua et igni interdiceretur, tamen executio poenae ad magistratus officium pertinebat. Itaque is, cum aquae et ignis interdictio poenae locum in republica obtinuisset, id curare debebat, ne quis intra fines Italiae condemnato aquam et ignem praeberet. Tribuni enim suo edicto, ne *liceret Romae quemquam esse, qui rei capitalis damnatus esset,*[4]) sive id annuum, sive tralaticium erat, ea edicta, quae praetores aut contra singulos, quibus interdictum erat, aut contra universos proponebant, adiuvisse videntur. Verum e legis Juliae municipalis verbis colligere possumus eo tempore, quo ea lex lata est, Italiae interdictionem cum capitali poena utique coniunctam fuisse.[5]) Itaque iam cives relegabantur, sed ei dumtaxat, qui rei capitalis damnati erant. —

Legitima vero poena relegatio lege Tullia de ambitu,

[1]) Liv. XXIII, 31. XXIV, 18. XXV, 6. XXVI, 1—2. XXVII, 7.

[2]) App. *b. c.* I, 62.

[3]) Cic. *pro Plancio* XL, 96: „*praetor ille* [C. Vergilius] *eiusdem tribuni pl. contionibus propter eandem reip. causam saepe vexatus nihil amplius dico nisi me in Siciliam venire noluit.*“. — Ex eo quod Cicero Vergilio crimini dat, quod ab eo non receptus erat, legem non prohibuisse, quominus reciperetur, colligi potest, eodemque modo Dio XXXVIII, 17, 7 interpretandus est: *ἥ τε φυγὴ ἐπετιμήθη καὶ ἡ ἐν τῇ Σικελίᾳ διατριβὴ ἀπερρήθη* sc. a Vergilio. — Nam, ut Zumpt, *Cr.-R.* I², 427, ostendit, fines, quibus Cicero interdicitur, Italiae fines sunt.

[4]) Cic. *Verr.* II, II, 41, 100.

[5]) *L. Iul. mun.* v. 117: „*queive iudicio publico Romae condemnatus est erit, quocirca eum in Italia esse non liceat, neque in integrum restitutus est erit.*“ A. et i. interdictionem cum relegatione coniunctam esse Holtzendorff, cui M. Cohn assentitur, ostendit. —

quam Cicero consul pertulit, introducta esse videtur; quamquam enim verbo *relegare* non usus est,[1] tamen inter Ciceronis illud *decem annorum exilium* et vetus exilium, cum civitatis certe per decem annos intermissio fieri non possit, et poena capitalis non sit nisi perpetua, multum interest. Sed sive ea lex iam prius valere desiit, quod verisimile est, sive lege Julia de ambitu lata abolita[2] est, Augustus certe relegationem reduxisse videtur. Aelius enim Gallus distinguit *lege* relegatos ab iis, qui *senatus consulto* aut *edicto* magistratus releganter;[3] itaque non adducor, ut credam eum, cum *lege* relegatos dicat, eos significare, quibus ob capitalem poenam edicto Italia interdicatur. Sed illam legem Juliam de adulteriis esse puto; cuius cum ratio esset, ut, in quos pater familias ad id tempus privato iure animadvertisset, ei publica poena adficerentur,[4] facile relegatio antea edicto persaepe iniuncta ea lege legitima poena fieri poterat. Nam patres familias cum alios, qui in eorum potestate erant, etiam libertos, tum adulteras relegare soliti erant.[5] Ut autem de illius Aeliani loci interpretatione dubitetur, tamen relegationem eius legis poenam fuisse effici potest;[6] nam Ovi-

---

[1]) Cic. *pro Mur.* XXIII, 47. XXXXI, 89; *pro Sestio* LXIV; *in Vatin.* XV; *pro Plancio* III, 8. XXXIV. — Dio XXXVII, 29: *ἔδοξε τῇ βουλῇ .... δέκα ἐτῶν φυγὴν τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι.* Cf. Holtzendorff *l. l.* p. 33. — Zumpt *l. l.* II^2, 250 ss.

[2]) Cf. Rein, *R. Cr.-R.* p. 719 ss. — Lex Julia a. a. u. c. DCCXXXVI^o lata est.

[3]) Festus p. 278 M.: „*relegati dicuntur proprie, quibus ignominiae aut poenae causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco abesse l e g e senatuique consulto aut edicto magistratuus, ut etiam Aelius Gallus indicat.*“

[4]) Cf. Rein *l. l.* p. 843. — *D.* 48, 5, 33 [32].

[5]) Tac. *ann.* II, 50: „*adulterii graviorem poenam deprecatus, ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur, suasit; adultero Manlio Italia atque Africa interdictum est.*“ Cf. *ib.* XIII, 26. — De T. Manlio, quem Cic. *off.* III, 31, 112 et Val. Max. VI, 9, 1 relegatum appellant, cf. Liv. VII, 4—5. — D. Silanus: Val. Max. V, 8, 3. Liv. *ep.* 54. — Cf. Cic. *pro S. Rosc.* XV, 44. — Suet. *Aug.* 65. 66.

[6]) *D.* 48, 5, 30 [29], 1: „*ait lex adulterii damnatam, si quis duxerit uxorem, ea lege teneri*“; quae v e r b a l e g i s intellegi non possunt, nisi relegatio, non a. et i. interdictio, poena legis fuit.

dius, quem tametsi extraordinario iudicio condemnatus est, tamen conici potest ab Augusto legis Juliae poena punitum esse, dicere solebat se relegatum, non exulem esse;[1]) Suetonius autem dicit Julias relegatas esse.[2]) Atque Tacitus tradit Augustum cum crimen adulterii cum filia aut nepti sua commissi gravi nomine violatae maiestatis appellaret, suas ipsum leges egressum esse; ea autem adulteria qui commiserant, aqua et igni interdicti sunt.[3]) Idem alio loco reprehendit Tiberium, quod adulterii quandam ream *non lege Julia*, sed *exilio*, id est aquae et ignis interdictione, damnaverit.[4]) Ex quibus colligamus necesse est iam tum duo exilii genera legibus sancta fuisse, quamquam concedimus id, quod Holtzendorff ostendit, extraordinariorum praecipue criminum reos relegatione punitos esse.[5]) Cuius rei causa quae fuerit ex eo intellegi potest, quod extraordinaria cognitio, cum a principe magistratuve sine legitima quaestione exerceatur, coercitioni quam iudicio similior est, ut, qui in provinciis pro magistratu sunt, ea potestate, quam liberae reipublicae temporibus iam habuerant, principes vero infinito suo in suis provinciis imperio utentes relegare possint. Verum e causa Asinii Galli, praefecti Aegypti, quem Augustus a. a. u. c. DCCXXVIII° e suis provinciis expulit, senatus autem bonis publicatis capitali exilio punivit[6]), discimus Augustum fines

[1]) Ov. *trist.* II, 135 ss.: „*Adde quod edictum, quamvis immite minaxque, Attamen in poenae nomine lene fuit; Quippe relegatus, non exul dicor in illo Privaque fortunae sunt data verba meae;*“ *ib.* V, 11, 15: „*Nec vitam nec opes nec ius mihi civis ademit.*“

[2]) Suet. *Aug.* 65. *Ti.* 50.

[3]) Tac. *ann.* III, 24. — Cf. Holtzendorff, *l. l.* p. 123—6.

[4]) Tac. *ann.* IV. 42: „*Caesar obiectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus Aquiliam adulterii delatam cum Vario Ligure quamquam Lentulus Gaetulicus cos. des. lege Julia damnasset, exilio punivit.*“ — „*Exilium*“ cum leniore poena comparatum pro a. et i. interdictione a scriptoribus ponitur.

[5]) Holtzendorff, *l. l.* p. 123—6.

[6]) Dio LIII, 23: [*ὁ Γάλλος Κορνήλιος*] *κατηγορήθη τε οὖν ἐπ' αὐτοῖς ὑπὸ Οὐαληρίου Λάργου … καὶ ἠτιμώθη ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου, ὥστε καὶ ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτοῦ κωλυθῆναι διαιτᾶσθαι· γινομένου δὲ τούτου καὶ ἄλλοι αὐτῷ συχνοὶ ἐπέθεντο καὶ γραφὰς κατ' αὐτοῦ πολλὰς ἐπήνεγκαν καὶ ἡ γερουσία ἅπασα ἁλῶναί τε αὐτὸν ἐν τοῖς δικαστηρίοις καὶ φυγεῖν τῆς οὐσίας στερηθέντα καὶ ταύτην τε τῷ Αὐγούστῳ δοθῆναι καὶ ἑαυτοὺς*

proconsularis sui imperii, quod proximo anno acceperat[1]), non egressum esse. Paucis vero annis post, a. a. u. c. DCCXXXI°, eius imperium auctum esse videtur, cum tum demum senatus ei decerneret, ut Dionis verbis utar[2]): *τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν*. Ex eo tempore etiam in provinciis proconsularibus Augusti imperium maius erat quam proconsulum.

Quare cum princeps omnibus provinciis interdicere potuerit, etiam alius cuiusdam commutationis quaenam fuerint causae intellegi potest. Nam cum ex multis rebus, tum ex Augusti edicto, quod supra memoravimus, colligi potest iam primis principatus temporibus exules certi loci finibus inclusos esse, quod ante id tempus eis solis contigit, qui cives Romani non erant, obsidibus captivisque[3]). Caesar vero primus eiusmodi poenam etiam in cives Romanos adhiberi voluit, cum in senatu censeret eorum, qui cum Catilina coniuravissent, pecunias publicandas, ipsos per municipia in vinculis habendos esse[4]); sed sicut Cato censuerat, senatus decretum factum est. Praeter Lepidum autem non tam relegatum quam sepositum Juliis earumque scelerum ministris, quantum scimus, primis certi loci assignati sunt. Sed non solum in insulas esse relegatum et Ovidii et maioris Juliae et Agrippae Postumi exempla docent[5]) et in Oasim postea nonnullos reos damnatos esse satis constat[6]). Atque etiam legati et proconsules principatus temporibus in insulam vel urbem vel eius, quam quisque regit, provinciae regionem relegare possunt neque

βουθυτῆσαι ἐψηφίσατο. Suet. *Aug.* 66: „*domo et provinciis suis interdixit.*“

[1]) Cf. Mommsen, *Str.* II², 769 s.

[2]) Dio LIII, 32, 5.

[3]) Liv. IX, 42. XXVI, 14. 16. XXXIX, 19. XLV, 42. 43; *ep.* 61. — Pleraque, in quae eiusmodi custodiae dabantur, oppida coloniae Latinae erant: Alba Ardea Cales Carseoli [Circeii] Spoletium. Praeterea Iguvium et Teanum, oppida foederata, commemorantur.

[4]) Sall. *Cat.* 51 in f. App. *b. c.* II, 6. Vell. Pat. II, 35. Suet. *d. Jul.* 14. Dio XXXVII, 36.

[5]) Tomi, Regium, Surrentum. — Ov. *trist.* passim. — Tac. *ann.* I, 53. Suet. *Ti.* 50. — Suet. *Aug.* 65. — Lepidus Circeiis: Suet. *Aug.* 16.

[6]) *D. h. t.* [48, 22] 7, 5.

tamen in aliam provinciam[1]); quamquam nescimus, num id in certum locum relegandi ius ex eo deductum sit, quod contendebant iurisconsulti nihil aliud esse certi loci assignationem nisi ceterorum in provincia locorum interdictionem, tamen, cur princeps in certum locum relegare et deportare posset, hanc fuisse causam, quod toto imperio praeter certum locum interdicere posset, auctores nostri tradunt[2]); atque idem ex eo colligi potest, quod, ut supra commemoravimus, Cornelius quidem Gallus e Caesaris provinciis, eorum autem, qui post annum DCCXXXI^{um} a principe relegati sunt, permulti ex omnibus provinciis praeter certum locum eiecti sunt.

Quadraginta annis post illam causam iam omnibus omnino, quibus aqua et igni interdictum erat, ab eo, qui summam per totum imperium potestatem obtinuerat, continenti interdictum erat et inde omnis deportatio in insulam deportatio[3]) erat. Cum de relegatione nihil unquam eiusmodi constitutum esset, et sine loci assignatione et in certum locum vel certam in insulam relegare vel continentibus interdicere aut princeps aut magistratus poterant[4]). —

---

[1]) *D. h. t.* 7, 6; l. 9. — Cf. infra.

[2]) Marcianus in *D. h. t.* 5: „*Exilium triplex est: aut certorum locorum interdictio aut lata fuga, ut omnium locorum interdicatur praeter certum locum, aut insulae vinclum, id est relegatio in insulam.*“ Quinque postrema verba inepte addita, fortasse non a Marciano. — *D.* 48, 19, 4. — Philo Iudaeus, *εἰς Φλάκκον*, 18: *κατέγνωστο αὐτοῦ φυγὴ καὶ ἐξ ἁπάσης μὲν ἠλαύνετο τῆς ἠπείρου — ἐξ ἁπάσης δὲ νήσου τῶν εὐδαιμόνων.*

[3]) Opinionem, quam Rein attulit, duo genera poenae esse: „*deportationem*“ et „*in insulam deportationem*“ Holtzendorff recte refutavit.

[4]) *D. h. t.* 14 pr.: „*relegatus est is, cui interdicitur provincia aut urbe continentibusve in perpetuum vel ad tempus.*“ —

II. De exilio inde a principatus initio usque ad Severi Alexandri principatum.

a. De eis qui relegare vel deportare possunt.

[Princeps et praesides; procuratores et praefecti; senatus; quaestiones.]

Si deportatio non alia poena est quam aquae et ignis atque totius imperii Romani interdictio *praeter certum locum*, sequitur, ut nemo nisi qui et in Italia et in provinciis imperium tenuit deportare potuerit. Principem igitur deportandi iure sine controversia usum esse, praesides vero deportare non potuisse tametsi ab optimis auctoribus traditum atque confirmatum est, tamen iis, qui nostra aetate de deportatione scripserunt, permagnas attulit difficultates [1]). Qui mihi non satis accurate considerare videntur, a quo initio ea iura profecta sint; nam quamquam de eorum, qui liberae reipublicae temporibus provinciis praeerant, iurisdictione perpauca scimus, tamen dubitari non potest, quin ii civibus Romanis aqua et igni interdicendi ius non habuerint, quia et, dum aquae et ignis interdictio ipsa nondum poena erat, propter provocationem civibus Romanis etiam in provinciis permissam et postea, cum quaestiones perpetuae in provinciis non essent, in exilium mittere cives Romanos non poterant. Quae lege Julia de vi publica, cuius fragmenta exstant [2]), non refelluntur, qua *tenetur* nemo nisi *qui, cum imperium potestatemve haberet, civem R. adversus provocationem necaverit verberaverit iusseritve quid* [eorum, quae s. s. s.] *fieri aut quid in collum iniecerit, ut torqueatur;* exilii enim hoc loco mentio fieri ideo non potest, quod, si is, qui provinciae praeesset, pronuntiasset se civi illi Romano aqua et igni interdicere, eiusmodi condemnatio rata ac firma non fuisset neque ullum ius damnatus amisisset. Sed cum post provincias inter Au-

[1]) *D.* 48, 19, 2, 1 etc. — Cf. Holtzendorff *l. l.* p. 99 ss.

[2]) *D.* 48, 6, 7: Ulp. l. VIII. *de off. procons.* — Cf. Paul. *r. s.* V, 26, 1. — Mommsen, *Str.* II. p. 258 n. 2.

gustum et senatum divisas proconsulibus eadem iura, quae antea, concessa essent, republica ab Augusto constituta eorum iura non commutata esse videntur. At alio modo de iis disputandum est, qui Caesaris provinciis praeerant, quippe qui, cum legati Caesaris proconsulis essent, imperium non suis auspiciis et potestatem totam a principe mandatam haberent. Criminalis namque principis iurisdictio infinita erat; nam ut eo primum post reges exactos regia consulum potestas imminuta est, quod criminalis eorum iurisdictio intra angustiores fines cohibita est, ita ii, qui sua potentia libertatem oppresserunt, id maxime expetierunt, ut criminalem iurisdictionem infinitam obtinerent[1]); quam quidem potestatem ii, qui antea dominatum occupaverant, ut inimicos suos punire possent, adepti erant extraordinariam, sed principi, ut ordini rerum ab Augusto constituto accomodari posset, opus erat titulo ordinario atque e libera republica translato. Itaque etiam criminalis principum iurisdictionis fundamenta in proconsulari imperio et tribunicia potestate[2]) posita sunt, quarum potestatum altera partem orbis Romani ab altera relictam complectitur. Quas perpetuas princeps adeptus, cum sacrosanctus esset, neque cogi poterat, ut ullius facti rationem redderet, et cum omnes leges tum eas, quae de capite civium Romanorum latae erant, impune neglegere poterat. Itaque is, quem neque violari fas esset neque nisi mortuum damnari liceret, impediri non poterat, quominus de cive Romano supplicium sumeret[3]) atque etiam moribus et legibus, secundum

[1]) Cf. Geib, *Roem. Crim.-Proc.* p. 420 ss. Mommsen, *Str.* II², 921 n. 1; 823 etc. — Cic. *rep.* III, 13 [14], 23: *„sunt enim omnes, qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni.“*

[2]) Quae considerantes intellegimus Varronis et Labeonis, qui senatus partibus studebant, cum M. Druso et Ateio Capitone disceptationem [Gell. XIII, 12. Val. Max. IX, 5, 2], quorum illi tribunos coercitionem solam habere contendebant, qui autem Capitoni assentiebantur, etiam vocationem; [cf. Mommsen *Str.* I, 140 ss.] Capitonis sententia principatus temporibus valuit, quoad principes illorum iura artioribus finibus circumscriberent: *„prohibiti tribuni ius praetorum et consulum praeripere aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi posset.“* — [Tac. *ann.* XIII, 28.]

[3]) Dio LIII, 17, 6 et 9.

quae iudicia actiones sententiae reddebantur instituebantur dicebantur, solutus erat. —

Minime autem mirum est Caesarem eam infinitam potestatem **legatis** non mandasse, sed tale imperium, quale proconsules haberent. Potestas enim a principe legatis per scripta mandata delata est, quibus eorum iura et munera descripta atque definita erant. Ex eo, quod in quodam titulo procuratoris a mandatis mentio fit[1]), colligi potest mandata alia aliis data esse neque dubium est, quin, quamquam permulta praecepta persaepe repetita tralaticia fiebant, prout provincia vel tempus posceret, diversa fuerint[2]). Quomodo cum legatis etiam criminalis iurisdictio deferretur[3]), cum civium Romanorum numerus in dies cresceret, fieri non poterat, quin illa legatorum et proconsulum criminalis iurisdictio non sufficeret atque augeretur; atque etiam proconsulibus principes mandata dare coeperant[4]) et utrisque, et legatis et proconsulibus, ius gladii, id est ius de capite civis Romani iudicandi suppliciique de cive sumendi, mandabant. Quando singulis legatis aut proconsulibus primum ius gladii mandatum sit, nescimus; at ineunte tertio p. Ch. n. saeculo omnes provinciarum praesides ius gladii possedisse accepimus[5]);

[1]) Cf. Hirschfeld, *Unters. z. Roem. Verwaltungsgeschichte* p. 205 n. 3. Friedländer, *Sittengeschichte*, I, 176. Karlowa, *R. Rechtsgeschichte*, I², 652 s. — *C. J. L.* III, 536. — Dio LIII, 15, 4: *ἐντολάς τέ τινας καὶ τοῖς ἐπιτρόποις καὶ τοῖς ἀνθυπάτοις τοῖς τε ἀντιστρατήγοις δίδωσιν, ὅπως ἐπὶ ῥητοῖς ἐξίωσι.*

[2]) *D.* 48, 19, 8, 9 = l. 35 eod. 48, 13, 4, 2. 47, 22, 1 pr. 47, 11, 6. 37, 14, 7, 1. I, 18, 19; l. 3. I, 16, 6. Quorum permulta postea constitutionibus confirmata sunt.

[3]) Mandata etiam de exiliis quaedam continuisse scimus: *D.* I, 18, 3. — Plin. *ad Trai.* 56 [64]: *„nam sicut mandatis tuis cautum est, ne restituam ab alio aut a me relegatos, ita de iis, quos alius et relegaverit et restituerit, nihil comprehensum est.“*

[4]) Simili modo medii aevi temporibus rex *bannum* quidem sibi exceperat, sed ecclesiae advocatis aliisque mandabat. — Cf. Mommsen, *Str.* II, 258 ss., 928 ss.

[5]) *D.* 1, 18, 6, 8: Ulp.: *„qui universas provincias regunt, ius gladii habent.“* — *D.* 48, 19, 6, 2 etc. — Plinius in Bithynia ius gladii non habuit: *ad Trai.* 96 [97], 4; Tarraconensis legatus sub Nerone habuisse videtur: Suet. *Galba* 9; itemque proconsul Africae sub Traiano: Plin. *ep.* II, 11. [Mommsen *Str.* II, 258 n. 4.] — Dionis locus LXIV, 2, 3 nihil nos docet.

neque tunc dubitasse iurisconsultos, quin **mandatum** esset ius gladii ex eo colligi potest, quod praesides eam aliis mandare non poterant[1]). Atque differentias inter praesidum potestates sensim sublatas esse cum ex aliis rebus concludere possumus, tum ex eo, quod tertio p. Ch. n. saeculo et proconsules et legati eodem vocabulo praesides appellabantur[2]).

Quodsi consideramus criminalem praesidum iurisdictionem in iure gladii positam esse, non est, quod miremur eos ne in suae quidem provinciae insulam deportare potuisse; nam cum ius gladii militarem poenam solam contineret[3]), eam tantum poenam in cives Romanos adhibere poterant: liberae enim reipublicae temporibus omnino nullam in cives capitalem iurisdictionem habuerant.

Hic quaerat quispiam, cur principes, quantum scimus, omnino nulli praesidi ius deportandi per mandata detulerint. Quod ne facerent principes duabus causis adductos esse arbitror; quarum alteram attulit Geib[4]); nam cum praesidum potestas intra provinciarum fines inclusa esset, in quibusdam autem provinciis insulae nullae fuissent: si omnibus praesidibus ius deportandi delatum esset, alios aliorum provinciarum administrationi cum se interposuissent continuas controversias excitaturos fuisse, quae impedimento fuissent, quominus ii, qui condemnati essent, diligenter custodirentur; sin solis earum, in quibus insulae sunt, provinciarum praesidibus delatum esset, futurum fuisse, ut aequatio potestatum impediretur. Alteram ac sane graviorem causam Holtzendorff attulit[5]); nam cum, ex quo novae in republica et graviores poenae introductae erant, ii potissimum, qui *honestiores* appellabantur, deportati essent, fieri non potuisse, quin principes eorum causas sibi exciperent; accedit, quod plerorumque eorum, qui

---

1) Mommsen *l. l.* — *D.* I, 16, 6 pr. = L, 17, 70.

2) *D.* I, 18, 1.

3) Id verbum ipsum docet. Cf. Mommsen, *l. l.* p. 259: „Dass das i. g. von der Militärgerichtsbarkeit ausgegangen ist, zeigt Dio LIII, 13: *ἄλλῳ γὰρ οὐδενὶ οὔτε ἀνθυπάτῳ οὔτε ἀντιστρατήγῳ οὔτε ἐπιτρόπῳ ξιφηφορεῖν δέδοται, ᾧ μὴ καὶ στρατιώτην τινὰ ἀποκτεῖναι ἐξεῖναι νενόμισται.*“

4) Geib, *l. l.* p. 478.

5) Holtzendorff *l. l.* p. 104.

deportari poterant, forum Romae erat[1]). Itaque etiam intellegere possumus, cur praesidibus ius in metalla damnandi concessum sit, etiamsi in provincia eius, qui damnavit, metalla non essent[2]); ea enim poena cum introduceretur, ut mihi quidem videtur, in cives Romanos omnino non adhibebatur[3]) et postea non nisi in eos, qui *humiliores* appellabantur[4]). Illud autem ius singulis per mandata delatum esse conici potest[5]); postea vero, cum multitudo civium Romanorum, qui *humiliores* erant, assidue augeretur omnibus datum est; nam tertio p. Ch. n. saeculo ineunte omnes iam praesides eo iure usos esse constat[6]).

Eadem ratione intellegi potest, quod multis sibi non conveniens est visum, ut praesides deportare non possent, relegare possent, id sibi non repugnare. Nam proconsules relegandi iure iam liberae reipublicae temporibus uti potuerant. Itaque legatis provinciarum principes idem ius coercitionis causa concesserunt, ut suam quisque *malis hominibus purgare provinciam* posset[7]); atque et proconsules et legati id, postquam relegatio legitimae poenae locum in rep. obtinuit, retinuerunt. Quare cum sua quisque provincia interdicere posset, Claudius edixit, ut *ii, quibus a magistratibus provinciae interdicerentur, urbe quoque et Italia summoverentur,* memor, ut puto, veteris illius edicti, quo iudicio publico condemnati ex urbe eiciebantur[8]); quod praeceptum

[1]) Cf. *D.* 49, 4, 1 pr. cum 48, 19, 15; l. 9, 11 ss. — *C. I.* IX, 47, 3; l. 9 etc.

[2]) *D.* 48, 19, 8, 4: *„metalla autem multa numero sunt et quaedam quidem provinciae habent, quaedam non habent: sed quae non habent, in eas provincias mittunt, quae metalla habent."*

[3]) Cf. quae infra de ea re s. s.

[4]) Cf. *D.* 47, 20, 3, 2. 48, 13, 7 [6]. 48, 19, 38. 49, 18, 3. — *C. I.* IX, 47, 5. — Paul. *s. r.* I, 21. V, 20 etc.

[5]) Proconsul Africae id ius Plinii temporibus habuit; cf. Plin. *ep.* II, 11, 8.

[6]) *D.* I, 18, 6, 8 [Ulp.] cit.: *„qui universas provincias regunt, i. g. habent et in metallum dandi potestas eis permissa est."* — *D.* 48, 19, 8, 4 ss.

[7]) *D.* I, 18, 3: *„in mandatis principum est, ut curet is, qui provinciae praeest. m. h. p. p."*; nec distinguuntur *„mali homines"* unde sint. *D.* 47, 11, 4. — 48, 8, 4, 1. — 48, 22, 14, 2. — Plin. *ep.* II, 11, 8; *ad Trai.* 56—57 [64—65].

[8]) Suet. *Claud.* 23. Nescio an Claudius Italiae quidem inter-

posteri ita interpretabantur, ut praesidibus etiam ius ex Italia relegandi esse dicerent. Ad quod addidit Severus rescripto, ut ea quoque provincia interdicere possent, unde quis oriundus erat[1]). *Si quis eam sententiam admiserit, ut is, qui in alia provincia commisit, possit relegari ab eo, qui ei provinciae praeest, eveniet, ut relegatus iste tribus provinciis praeter Italiam debeat abstinere, et in qua deliquit et quam incolit et originis*[2]). Veterem igitur iuris normam, ne quis praeses ultra provinciam ius relegandi extenderet, non iam servabant et quod tempus illud ad acriores poenas proclive erat et ut magis providerent publicae securitati[3]). Atque praesides et parte provinciae, sive ea patria condemnati erat, sive aliud quodlibet oppidum, ita interdicere poterant, ut, qui eo modo relegatus esset, etiam urbe interdictus esse videretur, quod constitutiones de eiusmodi relegationibus similes erant eis, quas de provinciae interdictione constitutas esse antea est dictum[4]); et ineunte tertio p. Ch. n. saeculo ius in certum provinciae locum, sive in oppidum, sive in desertiorem provinciae locum in continenti aut in insula situm, relegandi adepti erant[5]); quod ius utrum a proprio praesidis imperio an a mandatis principum deductum sit, nescimus. Ceterum quoniam relegatio in insulam gravius poenae genus esse videbatur, quorum provincia nullas habebat insulas, iis concessum est, ut, quamquam certam insulam assignare non poterant, tamen *in insulam* ita relegare possent, ut condemnatis postea a principe insula assignaretur[6]). Id vero primis prin-

---

dictionem introduxerit, urbis Romae vero interdictio iam pridem constituta sit. Cf. Callistratum in *D. h. t.* 18 [19] pr.

[1]) *D.* h. t. 7, 10. — Egnatius Taurinus proconsul Baeticae, scribit ad Hadrianum, *Coll.* I, 11, 2: „*Mario Euaristo urbe, Italia et provincia Baetica interdixi.*" = D. 48, 8, 4, 1. Cf. D. 47, 18, 1, 2.

[2]) *D.* h. t. 7, 10—13: Ulp.

[3]) Ulp. *l. l.* § 14 dicit quibusdam praesidibus indultum esse, ut multis provinciis interdicere possint: ut praesidibus Syriarum et Daciarum. Eae provinciae unius quondam partes fuerant; itaque praesidibus ius, quod antea habuerant, non minutum est.

[4]) Ulp. *l. l.* § 15—16. — *D.* h. t. 18 [19] pr.

[5]) Ulp. *l. l.* § 9. — *D.* h. t. 9.

[6]) Ulp. *l. l.* § 1.

cipatus temporibus inusitatum, quoniam diversa relegationum genera recentiora sunt, mandatis introductum esse videtur.

Sub principatu etiam procuratores provincias rexisse satis constat, quibus tota potestas a principe, cuius etiam privata negotia gerebant[1]), mandata erat[2]). Quorum tertio certo saeculo quosdam ius gladii habuisse scimus[3]); neque tamen deportare poterant, cum ne praesides quidem possent. Sed omnes procuratores eos, qui irrumpebant, a bonis Caesaris prohibere poterant, id est a bonis relegare[4]), ut iterum relegationis ius ad coercitionem aut defensionem datum esse videretur.

Pauciora etiam de praefecti Aegypti criminali iurisdictione tradita sunt, cui Augustum lege tale imperium detulisse, quale proconsules haberent, apud Ulpianum scriptum invenimus[5]); neque dubito, quin in numero eorum fuerit, quibus primis ius gladii daretur[6]). Et ex ceteris equitibus praefectus annonae atque praef. vigilum primo et secundo principatus saeculo intra suam provinciam minorem quandam atque arte circumscriptam criminalem iurisdictionem habebant

---

[1]) Id ipsum nomen procuratoris docet. Cf. Tac. *ann.* IV, 15. — *D.* I, 17, 1.

[2]) Cf. *D.* I, 19, 1—2 etc.

[3]) *C. I. L.* II, 484; *Or.* 3888: procuratores cum iure gladii. Etiam „*procuratores vice praesidis*“ id ius habuisse videntur. *D.* 49, 1, 23, 1. — *C. I.* III, 3, 1; 26, 3. IX, 20, 4.

[4]) „*Curatores Caesaris ius deportandi non habent, quia huius poenae constituendae ius non habent. Si tamen quasi tumultuosum vel iniuriosum adversus colonos Caesaris prohibuerint in praedia Caesariana accedere, abstinere debebit, idque D. Pius Iulio rescripsit. Deinde neque redire cuiquam permittere possunt, idque imperatores nostri Severus et Antoninus ad libellum Hermiae rescripserunt*“: *D.* I, 19, 3. Quo loco credo Callistratum de procuratoribus provinciarum loqui, praedia et colonos autem ipsas provincias et earum incolas esse. Illud „*prohibere*“ vere *poenam* esse ex eo colligi potest, quod procuratoribus non concessum est, ut redire cuiquam permitterent.

[5]) In *D.* I, 17, 1.

[6]) Dio LIII, 13, 7: *ἄλλῳ γὰρ οὐδενὶ οὔτε . . . . οὔτε ἐπιτρόπῳ ξιφηφορεῖν δέδοται, ᾧ μὴ καὶ στρατιώτην τινὰ ἀποκτεῖναι ἐξεῖναι νενόμισται· οὐ γὰρ ὅτι τοῖς βουλευταῖς ἀλλὰ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν οἷς τοῦθ' ὑπάρχει καὶ ἐκεῖνο συγκεχώρηται.* Praefectus Aegypti quibusdam legionibus praeerat.

cum relegandi, ut videtur, iure coniunctam [1]), neque eos secundo saeculo negaverim etiam maiorem adversus *humiliores* obtinuisse [2]). Praefectos vero praetorio iam clarorum illorum iurisconsultorum aetate etiam deportandi ius adeptos esse constat et Mommsen probavit [3]) eorum criminalem iurisdictionem profectam a specialibus principum mandatis ad eam potentiam progressam esse, ut imperatoris ipsius vice fungerentur et eorum sententiae ita ratae essent, acsi princeps ipse pronuntiasset, et ut ab eis rei non solum, dum princeps cognosceret, custodiis asservarentur, sed etiam sine appellatione condemnarentur. Atque hanc tantam potestatem primo Perenni, praefecto praetorio, sub Commodi principatu concessam esse puto [4]).

Etiam praefecti urbi [5]) cum potestas, quam *recens continuam* L. Piso sub Tiberii principatu gesserat, tum iurisdictio in dies augeri coepta est. Nam principes non solum orbem Romanum urbemque in pace continuerunt, sed etiam curam publicae disciplinae atque publicae suaeque securitatis in rempublicam introduxerunt. Atque cum iis, qui in urbe ei curae praeerant, mandatum esset, ut coercerent *quod civium audacia turbidum, nisi vim* metueret [6]), eiusmodi autem magistratuum potestas semper extra provinciae suae fines crescere soleret, cuius rei exempla ex omnium populorum rebus gestis afferri possunt, id etiam in praefectura urbis evenit; in republica autem administranda, quoniam militari praefectorum praetorio potestate in angustiorem locum inclusa erat, numquam multum valuit. Sed praefecti urbi, quippe qui coercerent magis quam iudicarent, cum cognitiones exer-

---

[1]) „*Relegare possunt princeps et senatus et praefecti et praesides provinciarum*" dicit Ulpianus in *D.* h. t. 14, 2. Nescio an omnes in urbe praefectos relegare posse arbitretur.

[2]) *D.* I, 15, 3. 47, 17, 1. 47, 18, 1; 2. — Cf. Mommsen, *Str.* II, 998, 1011. Hirschfeld, *Verwg.* 144. — De iure gladii, quod quarto saeculo habebant cf. Hirschfeld in *Philol.* 1870 p. 35 ss., p. 48. — Geib *l. l.* p. 449 s. diversa inter se iura, quorum alia aliis temporibus habebant, non satis discernere mihi quidem videtur.

[3]) Mommsen *Str.* II, 929 ss.

[4]) Scr. h. A. *Comm.* 5. *Sept. Sev.* 4.

[5]) Cf. Mommsen *Str.* II, 929. 1012.

[6]) Tac. *ann.* VI, 10—11: „*Praef. urbi* [L. Piso] *recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.*"

cerent celeriores minusque sollemnes neque e lege iureve scripto[1]), sed secundum aequitatem vel, quaecunque aequa esse dicerentur, ius dicerent, maximum momentum ad ius extraordinarium formandum atque excolendum attulerunt[2]). Sub Nerone certe praefectus urbi permagnam puniendi potestatem tenebat[3]), quae postea a principibus in maius augebatur atque tantum crescebat, quantum quaestionum potestas decrescebat. Quod ita factum esse non est, quod miremur; nam principes indulgebant arbitrio suorum praefectorum, magistratuum iudicia opprimebant. Itaque iam Ulpianus scripsit omnia omnino crimina praefecturam urbis sibi vindicasse[4]). Si ex analogia ceterarum potestatum concludere licet, non est dubitandum, quin iam pridem praefecto ius in metallum damnandi concessum sit[5]), cum iam ante secundi p. Ch. n. saeculi finem ius deportandi ei datum esset[6]); ex quo colligi potest, quod eorum provinciae intra certos fines inclusae erant, eam non solam causam fuisse, cur alii deportandi iure carerent; et quamquam, quod in praefecti urbi provincia nulla erat insula, in quam deportare posset, cum praefectus *se deportare* pronuntiasset, Caesar insulam condemnato assignabat, tamen, quae e lege deportationem consequi oportebat, eadem ipsam quoque praefecti sententiam

---

[1]) Cf. quae Ulp. in *D.* I, 12, 1 ad praefecti urbi cognitionem pertinere dicit.

[2]) Cf. Rein, *Roem. Crim.-Recht*, p. 105 ss.

[3]) Tac. *ann.* XIV, 41.

[4]) *D.* I, 12, 1 pr.

[5]) *D.* 48, 19, 8, 5: „*praefecto plane urbi specialiter competere ius in metallum damnandi* e x *epistula D. Severi ad Fabium Cilonem exprimitur.*" Mommsen „*ex*" delevit; sed nescio an pro „*ex*": „*et*" legendum sit, ut i. e. iam ante hanc epistulam praefectum hoc iure usum esse contendat.

[6]) *D.* h. t. 6, 1: „*deportandi autem in insulam ius praesidibus provinciae non est datum, licet praefecto urbi detur: hoc enim epistula D. Severi ad Fabium Cilonem praef. urbi expressum est.*" Quod ius quin m a n d a t u m sit, haud dubium est; ceteris vero, quae Holtzendorff, *l. l.* p. 105, de hac re dicit, non assentior. — Cf. *D. leg.* III, 1, 4. Sed si scriptorem hist. Aug., in *vita M. Anton. Phil.* c. 23, sequeremur, contendoremus necesse est praefectum urbi deportandi ius iam sub M. Aurelio habuisse.

statim consequebantur[1]: quae omnia similiter se habent atque in praeside *in insulam* relegante, quamquam nullam in sua provincia insulam habebat; eo autem differunt ab illo deportandi iure, quod praefectis praetorio fuit, quod praefecti urbi potestas intra certos locorum fines inclusa est, cum praefectis praetorio, quippe qui in omnibus imperii partibus principis vice fungerentur, etiam insulae assignandae ius esset, quo praefectus urbi carebat. Causa vero, cur praefecto urbi praeter praefectos praetorio soli deportandi ius datum sit, ea esse videtur, quod is et veterum quaestionum, quarum iudicio condemnati capitali exilio puniebantur, heres exstitit et, cum in urbe iudicaret, facile custodiri poterat[2]). Neque dubium est, quin etiam relegandi ius habuerit et ab urbe et ab Italia et a parte Italiae et in insulam[3]) atque, quod id ius ad illam, quam exercebat, coercendi potestatem pertinet, coniciamus necesse est id ei inde ab initio concessum esse. —

Longe diversum a ceteris iudiciis in republica locum **senatus** obtinebat. Nam ab Augusto ei erat concessum, ut, cum dyarchiae alterum fundamentum esset, sui iuris esset cum in aliis rebus tum in iudicando; atque eius solius cum principe potestas inter omnium magistratuum et procuratorum vicissitudines immota mansit et continua. Quae cum ita essent, ut senatus iudicia in mandatis principum ponerentur, fieri non potuit, sed continuata videbatur esse illa consulum iurisdictio, quam in difficillimis reipublicae temporibus ex senatus consulto sine provocatione exercebant[4]); eam enim cum antea iniustam esse maxime ii, qui Caesaris partes sequebantur, contendissent, Augustus auxerat, cum *et multa exempla maiorum exolescentia iam* e Romanorum usu revocaret *et ipse multarum rerum exempla imitanda posteris* traderet.

---

[1]) *D.* I, 12, 1, 3: *„relegandi deportandique in insulam, quam imperator adsignaverit, licentiam habet.“* Ex quo colligendum est praefectum poenam exsequi non potuisse, antequam imperator insulam assignavissot, minime vero principem praefecto certas insulas concessisse, in quas deportaret.

[2]) Cf. Holtzendorff *l. l.* p. 105.

[3]) *D.* I, 12, 1, 3; §. 13. — Cf. p. 40 n. 1. —

[4]) Cf. Mommsen *Str.* II, 111—117.

Nam extraordinarium atque consulare iudicium in ordinarium atque senatorium transformavit, ut consules senatus sententiam pronuntiare, iudicare ipsi iam non possent.[1]) Senatus autem iudicii quae fuerit origo etiam ex eo colligi potest, quod primis principatus temporibus non de omnibus reis cognoscebat, sed praecipue de iis, qui perduellionis, id est laesae maiestatis, rei erant, ut vere in senatus cognitionibus maiestatis crimen *omnium accusationum complementum* esset[2]). Accedit quod inde ab initio cognitionum senatus ius morte puniendi habuit et consul de condemnatis supplicia sumebat[3]). Sed etiam capitali exilio ita puniebat senatus, ut, etiamsi toto imperio interdicere non posset, aqua et igni, ut plerumque traditur, interdiceret[4]); nam senatum eam sententiae formam conservasse putaverim. Postquam senatus iudicavit, princeps condemnato insulam assignabat neque, si in senatus consulto, ut certam quandam insulam assignaret, erat monitus[5]), eo impediebatur, quin senatus consilio neglecto, quam vellet, eligeret. Sed cum ea, quae nobis ab auctoribus nostris tradita sunt, ex actis senatus sint hausta, plerumque invenire non possumus, quas in insulas condemnati deportati sint. — Atque etiam relegandi ius a consulibus ad senatum translatum est[6]); quo usus senatus aut ex urbe tantum con-

[1]) Cf. consilia atque curias regum, e quibus sui iuris iudicia atque parlamenta nata sunt.

[2]) Tac. *ann.* III, 38; cf. II, 50; III, 12—13; 22.

[3]) Eodem iure Cicero de eis, qui cum Catilina coniuraverant, supplicium sumpsit. — Etiam principatus temporibus quidam, qui bellum civile movebant, hostes iudicati sunt.

[4]) Tac. *ann.* III, 23; 50. VI, 24. XVI, 12. IV, 21. Cf. II, 85. IV, 31. VI, 36; 54 etc. — Tacitus narrat: „*in insulas interdicto igni atque aqua demoti sunt*" atque dilucide distinguit senatus sententiam ab eo, quod princeps fieri iussit. Cf. Vibii Sereni causam: *ib.* IV, 13. — Exstat s. c., quo mathematicis aqua et igni interdictum est in *Coll.* XV, 2, 1.

[5]) Tac. *ann.* IV, 30. III, 69. 38: „*aqua et igni interdictum reo adpositumque, ut teneretur insula neque Macedoniae neque Thraeciae opportuna:*" prima pars condemnatio est; secunda princeps admonetur.

[6]) *D.* h. t. 14, 2: „*relegare possunt princeps et senatus et ..... nec tamen consules.*"

demnatum eiciebat[1]) aut reo Italia interdicebat[2]) addita nonnumquam ea provincia, in qua reus ortus erat[3]); fortasse autem alia quoque proconsulari provincia interdicere poterat[4]). Neque idem omnium relegationum tempus; nam et biennii et diuturniores et perpetuae relegationes esse potuisse constat. —

Novis, quae principatus attulit, iudiciis perpetuae quaestiones maxime afflictae sunt; quas, cum plerumque de eisdem, de quibus illa iudicabant, criminibus haberentur, paulatim obsolevisse non mirum est; quomodo autem exoleverint, quamquam non satis luculenter exponere possumus, cum, quae nobis de eis tradita sunt, non sufficiant, tamen ansae quaedam argumentationis dantur. Etenim Augustus decurias iudicum ipse supplebat eiusque exemplum etiam ceteri principes sequebantur[5]) et numerus decuriarum aliquotiens auctus est; ex quo cave concludas numerum criminalium causarum auctum esse, quoniam privatarum causarum iudices ex eisdem decuriis eligebantur. Sub Tiberio etiam quaestio maiestatis exercebatur[6]), de qua postea nihil traditur; atque eam non multo post exerceri desitam esse propter senatus de eisdem criminibus iurisdictionem crederem, nisi *humiliorum* personarum causae a senatu numquam fere iudicatae essent. In numero earum, quae primae exolevere, quaestionum certe repetundarum quaestio fuit[7]), quantum ad res criminales pertinet, quoniam, quia nullae nisi *honestiores* personae repetundarum damnari poterant, senatus iam pridem plerasque cognitiones sibi vindicaverat. Neque quaestio de ambitu iam exercebatur, cum comitia ad patres translata essent municipalisque ambitus extraordinaria poena coerce-

---

1) Tac. *ann.* VI, 36.

2) Tac. *ann.* III, 17. IV, 31. VI, 9. XII, 8; 22. XIV, 28. XVI, 33; inter quas causas quasdam deportationes esse non nego. — Plin. *ep.* II, 11, 19—20. III, 9. VI, 29, 9. VIII, 14.

3) Tac. *ann.* XIV, 41: „*eique* [Aeliano] *Italia et Hispania, in qua ortus erat, interdictum est;*“ *ib.* II, 50. Plin. *ep.* II, 11, 8; 19.

4) Tac. *ann.* XV, 20; fortasse etiam *ib.* III, 38. [Creta — Macedonia.] —

5) Mommsen, *Str.* II, 918 ss.

6) Tac. *ann.* I, 72.

7) Macer in *D.* 48, 11, 7, 3.

retur.[1]) Quae cum consideremus, facile intellegere possumus, cur Plinius in epistulis nullam quaestionum mentionem faciat, quoniam nobiles viri in humiliorum iudiciis non versabantur. Quamquam etiam eorum scelerum, quae non in rempublicam commissa esse dicerentur, iam exeunte primo principatus saeculo nonnulla ad praefecti urbi extraordinariam cognitionem pertinebant; nam eum de falsi crimine iam sub Nerone plerumque cognovisse satis constat[2]) et sub M. Aurelio nullum praetorem quaestionem de falsi crimine exercuisse conicere possumus.[3]) Atque licet quaestio quondam de novo crimine annonae constituta sit, tamen non multis annis post legem de annona latam cognitionem ad praefectum annonae translatam esse putaverim.[4]) De adulteriis vero quaestionem praetorem ineunte tertio p. Ch. n. saeculo exercuisse e libelli formula, quam Paulus nobis in digestis tradidit, colligere possumus[5]); neque tamen negaverim et senatum interdum et saepe praefectum urbi de eo crimine cognovisse, cum eiusmodi causarum numerus tantus esse soleret, ut Cassius Dio, cum ipse, postquam Septimius Severus poenam auxisset, consulatum iniisset, tria milia causarum delata esse scriberet.[6]) Neque tamen dixerim consules tum solos de adulterii crimine iudicasse, sed non dubito, quin etiam alii iudicia de eo crimine exercuerint. — Paulus verum quodam fragmento[7]) nos docet, quo tempore capitalium rerum quaestiones exerceri desitae sint: *ordo exercendorum publicorum capitalium in usu*

[1]) Modest. in *D.* 48, 14. 1. un.

[2]) Tac. *ann.* XIV, 41.

[3]) *D.* 48, 10, 24: Scaev. l. XXII. *digest.* — Cf. *D.* 47, 11, 8 cum 48, 10, 1, 5; Marc.

[4]) Cf. de posteriore tempore *D.* 48, 2, 13; t. 12, 3 etc.

[5]) *D.* 48, 2, 3: Paulus l. III. *de adulteriis: „libellorum inscriptionis conceptio talis est: Consul et dies. Apud illum praetorem vel proconsulem L. Titius professus est se Maeviam lege Julia de adulteriis ream deferre, quod dicat eam cum C. Seio in civitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis adulterium commisisse.“*

[6]) Dio LXXVI, 16, 4: καὶ ἐνεκάλει μὲν τοῖς μὴ σωφρονοῦσιν ὡς καὶ περὶ τῆς μοιχείας νομοθετῆσαί τινα· καὶ διὰ τοῦτο γραφαὶ αὐτῆς ὅσαι πλεῖσται ἐγένοντο, τρισχιλίας γοῦν ὑπατεύων εὗρον ἐν τῷ πίνακι ἐγγεγραμμένας.

[7]) *D.* 48, 1, 8; e libro sing. de iudiciis publicis, quem sub Caracalla scriptum esse Karlowa docuit, *l. l.* p. 748.

esse desiit, iurisconsultus ait, *durante tamen poena legum, cum extra ordinem crimina probantur.* Ea autem verba non ita nobis interpretari licere puto, aesi Paulus *publicorum* tantum dixisset[1]), cum ipse Paulus alio loco scribat: *publicorum iudiciorum quaedam capitalia sunt, quaedam non capitalia; capitalia sunt, ex quibus poena mors aut exilium est, hoc est aquae et ignis interdictio*[2]). Poterant igitur, quoniam, qui lege Iulia de adulteriis damnati erant, relegabantur, quicunque non ob graviorem causam extra ordinem puniendi erant, in quaestione de adulteriis etiam tunc condemnari, etiamsi Ulpianus in fragmento digestorum, quo eos enumerat, qui relegare possint, neque quaestionem neque praetorem commemorasse videtur; nam Tribonianus quaestionum mentionem facere omnino non potuit.[3]) Atque eodem tempore praetorem eam quoque quaestionem, quae de vi privata erat, exercuisse conicere possumus, sed in eis solis causis, in quibus legitima poena adhibenda erat.

Nam cum ceteris iudiciis principes generalia mandata darent, ut, prout causa esset, pro gravitate delicti et pro personarum dignitate, sententiam ferrent vel graviorem vel leniorem[4]), ei autem, qui quaestiones exercebant, ex ea tantum, qua quaeque constituta erat, lege iudicarent et verba ipsa legis sequi deberent[5]), immutatae atque immutabiles

---

[1]) Ut Geib *l. l.* p. 396 interpretatur. — Cf. Mommsen, *Str.* II, 1019 n. 1: „Macenas räth bei Dio LII, 20. 21 die Quaestionengerichte .... für die übrigen Criminalsachen mit Ausnahme der Mordprocesse [*πλὴν τῶν φονικῶν*] zuzulassen, den Stadtpräfecten aber die Capitalsachen [*τὰς δίκας τοῦ θανάτου*] vorzubehalten. Damit scheinen die Verhältnisse dargestellt zu sein, wie sie zu Dios Zeit bestanden."

[2]) *D.* 48, 1, 2: Paulus l. XV. *ad edictum praetoris;* tum pergit: *„per has enim poenas eximitur caput de civitate; nam cetera non exilia, sed relegationes propie dicuntur: tunc enim civitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria aut in corpus aliqua coercitio poena est."*

[3]) *D.* h. t. 14, 2 cit.

[4]) Ulp. in *D.* 48, 19, 13: *„hodie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre vel graviorem vel leviorem ita tamen, ut in utroque moderationem non excedat."*

[5]) Quinctil. *inst. or.* III, 10: *„plures aut eiusdem generis, ut in pecuniis repetundis, aut diversi, ut si quis sacrilegii et homicidii simul accusetur. Quod nunc in publicis iudiciis non accidit, quoniam praetor*

quaestiones manebant, cum iura omnia et consuetudo superiorum commutaretur; atque ea immutabilitate, qua quaestiones a ceteris iudiciis plurimum differebant, maxime factum est, ut quaestiones exolescerent, cetera iudicia maiore in dies auctoritate essent. Itaque cum capitalis poena legum Corneliarum et Juliarum aquae et ignis interdictio esset, iudices in quaestionibus, quae ex iis exercebantur, aqua et igni interdixisse ac, quoniam, quae in quaestionibus intendebantur, quasi legis actiones erant, ne verba quidem mutata esse arbitror [1]).

Itaque cum tertio p. Ch. n. saeculo quaestiones perpetuae evanescerent, senatus autem iudicia inania essent, omnes totius imperii iudices mandatarii imperatoris erant et dominatus id tenebat, quod ad iniurias inferendas maxime aptum est, iudicia dico; atque eum, quem Augustus introducere voluisse videtur, reipublicae statum, quo *aequabilis in civitate compensatio* esset et iuris et officii, ut et potestatis satis in principe et auctoritatis in senatu esset, conservari omnino non potuisse criminalibus cognitionibus perlustratis apparere puto [2]). Nam *inevitabile fatum* etiam bonos principes secum traxit et illi omnium principes plus in dies iuris et potestatis sibi adsciverunt. Sed eo rerum progressu hoc etiam effectum est, ut illud prisci iuris Romani institutum, ut, quod genus poenae adhiberetur, penderet ex eius, qui puniebat, potestate, evanesceret; atque cum omne omnino ius ex uno fonte manaret, poena pro ratione delicti statui potuit, nisi id, quod in iudicium venisset, reorum personis ac non generum ipsorum universa dubitatione quaesitum esset. —

certa lege sortitur, principum autem et senatus cognitionibus frequens est et populi fuit.“

[1]) Eam opinionem iam Holtzendorff, *l. l.* p. 41 s. attulit. Aqua et igni interdictum esse principatus temporibus dicit: „in den wenigen Fällen, wo die quaestiones perpetuae oder gar das Volk richtete.“ Quaenam sunt eae causae, de quibus populus tunc iudicabat?

[2]) Cf. verba Taciti *ann.* IV, 33: *„nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata reipublicae forma laudari facilius, quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest.“* —

b. De poenarum executione.

[Relegatio; deportatio; insulae; humiliorum poenae.]

Formulam, qua praeses relegare solebat hanc fuisse tradit Ulpianus[1]: *illum provincia illa insulisque eis relego excedereque debebit intra illum diem;* duas igitur partes habet, quarum altera modo indicativo ipsam relegationis sententiam continet cis locis, quibus interdicitur, additis, quia, quo plura loca interdicuntur, eo gravior poena est; altera modo imperativo (vel tempore futuro verbi debere, quod est loco imperativi), exequendi iussum continet die adiecta, intra quam poena exigenda sit; dies autem non lege, sed a magistratu suo arbitrio constituebatur, prout interdicta loca patebant, prout cuique is, qui interdixit, aut favebat aut iratus erat. Sed de ea re pauca atque quae ad Italiam pertinent nobis tradita sunt. Ab Italia enim relegatis constituere solebant non solum, intra quam quisque diem ex Italia, sed etiam, intra quam Roma excederet; atque tanta in ea re severitate utebantur, ut liberae reip. temporibus exterarum nationum legati saepe iuberentur eodem die ab urbe proficisci, intra quos excederent ex Italia non plures quam triginta dies darentur[2]; principatus autem temporibus plerumque tres dies et triginta dies concedebantur[3]. Sed ea dies eam solam vim habebat, ut executio poenae usque ad propositum tempus remitteretur, non eam, ut poenae ipsius, quae ab ipsa condemnatione initium sumebat, initia differrentur, quoniam differre poenam magistratus omnino non poterat; concessi illi igitur dies pars quinquenii v. g., in quod relegabatur, erant. Hoc etiam ex formulae secunda parte discimus relegatos plerumque non vi amotos esse[4]; quare, ut excederent, poenae et in eos, qui post concessum tempus relegatos intra interdictos

[1]) *D.* h. t. 7, 17: *„his, qui relegantur, dies excedendi a praesidibus dari et potest et solet; etenim moris est ita pronuntiari: illum provincia“* etc.

[2]) Cf. exempla Liviana supra memorata.

[3]) Seneca, *ἀποκολ.* 11.

[4]) Cf. Ovidii *trist.* l. I. passim.

fines reciperent[1]) et in relegatos ipsos, si non excederent, constitutae sunt. Earum poenarum atque relegationum genera sub Traiano nondum satis inter se distincta esse[2]) neque certam consuetudinem increbruisse ex epistula quadam Plinii Traianique ad eum rescripto intellegere possumus[3]). Id Hadriano ante oculos versatum esse conici potest, cum ediceret, ut, qui ad tempus relegatus esset, nisi intra tempus excessisset, in perpetuum relegaretur, qui in perpetuum vero relegatus esset, in insulam relegaretur, qui in insulam relegatus esset, deportaretur; quae praecepta etiam postea observabantur[4]). Ceterum etsi eam legitimam seriem poenarum omittimus, ex natura rei sequitur eos, qui leviori custodiae non obtemperent, in graviores custodias dandos esse. —

Verbi *deportare* vero principalem significationem eam esse, ut quis coactus atque custoditus amoveatur, et ex ea etiam colligi posse, qui fuerit modus deportandi, non nego. Nam cum condemnatis libera domicilii eligendi facultas non concederetur atque necesse esset adhiberi cautionem, ut in eum, qui eis assignatus esset, locum pervenirent, plerumque ii, qui post condemnationem deportandi erant, et dum rei erant, custodiebantur, id quod iam liberae reip., antequam exilium omnibus permissum est, temporibus moris fuerat, et cum damnati essent, dum in insulas pervenirent.[5]) Itaque Philo Iudaeus eo loco, quo Avillium Flaccum, praefectum

[1]) *D.* h. t. 11: *„interdum pecuniaria poena irrogatur iis, qui relegatos suscipiunt: interdum etiam ipsi relegantur, si quidem illi ob magnum crimen relegati sunt.“*

[2]) Cf. Holtzendorff *l. l.* p. 131. — *D.* 48, 19, 28, 13: *„in exulibus gradus poenarum constituti edicto D. Hadriani.“*

[3]) Plin. *ad Trai.* 56 [64] et 57 [65]: *„neque enim sufficit eum poenae suae restitui, quam contumacia elusit.“*

[4]) *D.* 48, 19, 4: *„et haec ita sive quis non excesserit in exilium intra tempus, intra quod debuit, sive etiam alias exilio non obtemperaverit; nam contumacia eius cumulat poenam; et nemo potest commeatum remeatumve dare exuli, nisi imperator, ex aliqua causa.“* [Marcianus]. — *D.* 48, 19, 28, 13. — *D.* h. t. 12. —

[5]) *D.* 48, 3, 1: *„de custodia reorum proconsul aestimare solet, utrum in carcerem recipienda persona sit an militi tradenda vel fideiussoribus committenda vel etiam sibi; hoc autem vel pro criminis, quod obicitur, qualitate vel propter honorem aut propter amplissimas facultates vel pro innocentia personae vel pro dignitate eius, qui accusatur, facere solet.“*

Aegypti, qui a Gaio condemnatus erat, Andrum deportatum esse tradit[1]), custodes aliquot eum in insulam comitatos esse scribit, ut neque iter suum eligere posset et in omni re ex eorum penderet arbitrio. Sed quoniam ei quoque, qui iam deportati erant, aliquo modo custodiendi erant atque impediendi, ne fugere aut novas res moliri conarentur, qui fugerant, morte puniebantur[2]), qui eos receperant, e lege Iulia de vi publica condemnabantur; atque ne fugere possent, erat etiam impedimento, quod bona eorum erant publicata et Augustus, ne quis maiores naves possideret, edixerat. Sed intra suae cuique insulae fines locum mutandi atque quidquid volebat faciendi libertas erat neque adimi poterat; nam et ceteris deportatis emendi vendendi omnino contrahendi facultatem concessam esse et Flaccum ipsum agellum Andri sibi adquisivisse accepimus[3]); Philo autem cum scribat Flaccum a custodibus suis, antequam abirent, in conspectum populi Andriorum productum esse[4]), eo exemplo nos docuisse videtur, quomodo deportati in insulis custodirentur. Omnino igitur omnes vel certe plerosque deportatos custodiae causa in incolarum eius, quam quisque habitaturus erat, insulae conspectum productos esse coniciamus necesse est; quo actu populus magistratusque obligarentur, ut curarent, ne quis deportatus fugere posset. Quae custodia non solum custodiae eorum similis esse videtur, qui dediticii facti et in custodiam dati sunt, velut senatus Campani, Persei et Gentii regum, sed etiam Minii Cerrinii[5]) ob Bacchanalia Ardeam in vincula missi. Atque eadem fuisset custodia eorum, qui cum Catilina coniuraverant, si patres in Caesaris sententiam iissent, qui censuit eos per urbes dandos et, si quis aufugisset, urbem

---

[1]) Philo, *εἰς Φλάκκον*, 18—19. Quem auctorem ut inspicerem, Alfr. Schiff me monuit, cui ob id maximas gratias ago.

[2]) Cf. p. 49 n. 4. — Conici potest iam Augustum in suo edicto mortem minatum esse. [Dio 56, 27 cit.].

[3]) Philo *l. l.* c. 20: *ὀλίγοις δὲ ὕστερον μησὶ βραχύ τι γήδιον πριάμενος κ. τ. λ.*

[4]) *Ib.* c. 19: *οἱ δὲ παραπέμψαντες αὐτὸν ἐπὶ τὸν δῆμον ἀγάγοντες τῶν Ἀνδρίων ἐπεδείξαντο πᾶσι μάρτυρας ποιούμενοι τῆς εἰς τὴν νῆσον ἀφίξεως τοῦ φυγάδος· καὶ οἱ μὲν τὴν διακονίαν ἐκπλήσαντες ἀπῄεσαν.*

[5]) Cf. cum alios locos s. citatos, tum Liv. 39, 19. — IX, 42, 9.

eam, ex qua evasisset, pro hoste habendam esse[1]). Ex quo colligi potest etiam in ceteris causis, quas modo commemoravimus, quamquam non traditum est, urbium magistratus sponsione obligatos esse, ut illos e fide bona custodirent, gravibusque poenis sanctum esse, si id munus publice susceptum non explerent. Recusavit id onus liberae reip. temporibus quondam colonia Latina, quae plurimum opibus valuit[2]): sub principatu nullum oppidum tantum valuit, ut id recusare auderet. At status regum illorum alius, alius deportatorum? At hi ipsa condemnatione civitatem amittebant, ut peregrini utrique essent neque causa afferri posset, cur non a Latinis peregrinisve custodirentur. Sed sub ipso principatu etiam nonnunquam, ut liberarentur e vinculis atque custodia, reis concessum est, ut fideiussores darent[3]), qui, si rei eis commissi ante iudicium fugissent, pecuniaria poena aut, si dolo malo fugam adiuvissent, etiam extra ordinem punirentur[4]). Atque eodem modo magistratus earum civitatum, in quibus rei vincti custodiebantur, vades factos esse accepimus[5]). Haec sola inter publicos et privatos vades differentia est, quod illi coacti, hi vero sua sponte se obligabant. Mandavere ergo Romani custodiendi curam atque onus parvulis civitatibus, quae, si mandatum neglexerant, poenas luebant. Itaque Romani ea molestia levati, ut mihi quidem videtur, magistratum aut milites non in multis in-

---

[1]) Dio XXXVII, 36, 1: *γνώμην ἔδωκε δῆσαί τε αὐτοὺς καὶ εἰς πόλεις ἄλλους ἄλλῃ καταθέσθαι τῶν οὐσιῶν ἐστερημένους ἐπὶ τῷ μήτε περὶ ἀδείας ἔτι αὐτῶν χρηματισθῆναί τί ποτε, κἂν διαδρᾷ τις, ἐν πολεμίων μοίρᾳ τὴν πόλιν ἐξ ἧς ἂν φύγῃ εἶναι.* Cf. Sall. *Cat.* 51 in f. App. *b. c.* II, 6. — Cf. etiam custodiam reorum apud Sall. *Cat.* 47, 4. — Cic. *Cat.* IV, IV, 7 ss.: *„municipiis dispertiri iubet ... adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit."*

[2]) Spoletium: Liv. XLV, 43. Cic. *Cat.* IV, IV, 8. — Cf. Cic. *pro Balbo* XXI, 48.

[3]) *C. I.* IX, 4, 6, 4. — *D.* tit. *de cust. et exhibit. reorum* (48, 3).

[4]) *D.* 48, 3, 4.

[5]) *D.* 48, 3, 10: *„ne quis receptam custodiam sine causa dimittat, mandatis ita cavetur: si quos ex his, qui in civitatibus [in compedibus M.] sunt, celeriter et sine causa solutos a magistratibus cognoveris, vinciri iubebis et his, qui solverint, multam dices; nam cum scierint sibi quoque molestiae futurum magistratus, si facile solverint vinctos, non indifferenter de cetero facient."*

sulis, in quas deportabatur, habebant, cum principes quam paucissimos milites a signis avocandos esse censerent[1]) et per longinquas insulas custodias spargere nollent. Nam cum nulla usquam militarium in insulis custodiarum mentio fiat; cum earum insularum pleraeque in senatus provinciis sitae sint; cum et Tiberius[2]) et Gaius[3]), ut exules in insulis interficerent, Roma milites emiserint, quod certe non necesse fuisset, si praesidia in omnibus insulis collocata essent: opinionem plurimorum doctorum virorum, qui putant in omnibus insulis, in quibus deportati esse solerent, milites fuisse, veram esse nego et curam deportatos custodiendi plerumque insularum magistratuum atque incolarum fuisse contendo. Atque ea res, etiam si ea, quae nobis a Philone tradita sunt, omittimus, eo confirmatur, quod Romani etiam aliis permultis officiis atque administrationibus non suos magistratus, sed privatos vel peregrinos praeponebant. Attamen haud abnuerim nonnunquam eorum deportatorum, qui maxime scelesti atque audaces esse videbantur, custodiam militibus commissam esse et in nonnullis insulis milites collocatos fuisse: velut Pisonem a Gaio ita in exilium missum esse accepimus.[4])

Atque etiam si insulas, in quas exules deportabantur[5]), perlustramus, cum auctores nostri tradant Agrippam Postumum Planasiae, Octaviam Pandatariae[6]) a militibus custoditos esse, in exceptionem incidimus. Singularem enim locum obtinent, qui principi cognatione iuncti erant; scilicet

---

[1]) *Trai. ad Plin.* 20 [31].

[2]) Tac. *ann.* I, 53. — Quoniam Agrippa Postumus custodiis circumdatus erat, ad eum unus centurio sine militibus missus est.

[3]) Philo *l. l.* c. 21. Suet. *Cal.* 28.

[4]) Dio 59, 8, 8: *καὶ τῷ γε Πίσωνι δέκα δούλους ἐπαγαγέσθαι ἐπιτρέψας, εἶτ᾽ ἐπειδὴ πλείονας ᾐτήσατο, ἐφῆκεν ὅσοις ἂν ἐθελήσῃ χρήσασθαι, εἰπὼν ὅτι καὶ στρατιῶται τοσοῦτοί σοι συνέσονται.* [Cf. edictum Augusti.] — ib. 55, 20, 5: *τί γὰρ ἂν ἀδικήσειέ τις ἐς νῆσον κατακλεισθεὶς ἢ καὶ ἐν ἀγρῷ πόλει τέ τινι οὐχ ὅπως ἄνευ πλήθους οἰκετῶν ἢ χρημάτων ἀλλὰ καὶ μετὰ φρουρᾶς ὤν, ἄν γε καὶ τούτου δεήσῃ;*

[5]) Nic. Antonius, *de iuribus exulum*, I, 16, non omnes insulas enumerat, sed plerasque; Gryphiander, *de insulis*, p. 194—211, paucissimas; Holtzendorff, *l. l.*, exempla [p. 113 ss.].

[6]) Tac. *ann.* I, 6. Suet. *Aug.* 65. — Tac. *ann.* XIV, 63 s.

ii in Italiae orae propinquas insulas relegabantur[1]). In iis enim causis principes etiam patris familias officio functi sunt, tametsi aliquotiens senatusconsulto usi sunt. Ita relegati autem a ceteris eo differunt, quod ceteri extra Italiam amoventur, hi in insulis Italiae retinentur, ut, quo magis principes ab eis sibi timent, eo firmiore praesidio custodiantur collocati in insulis minus quam quinquaginta milia passuum a continenti distantibus quoque facile praetorianorum vexillum transvehi possit.

Et Pontia et Pandataria minime incultae, sed frequentes incolis fuisse videntur[2]). Atque trita illa, quae de plane desertis scopulis, in quos exules expositi esse dicuntur, de fame et siti, quas deportati pertulisse putantur, de earum poenarum atrocitate narrantur prorsus falsa esse contendo. Nam si Antoninus Pius parricidam quendam ita exponi iussit, ut fame periret, mortis poenam extraordinariam, non deportationem fuisse ex auctoris nostri verbis colligamus necesse est, apud quem scriptum invenimus illum, quia senator esset, non percussum esse neque tamen *vivere illi naturae legibus licuisse*[3]).

Baleares, in quas nonnunquam exules deportabantur[4]), non parvae insulae sunt atque etiam Latini et Romani iuris civitates habebant[5]); neque qui in Sardinia, quae insula ob latronum rapinas et gravitatem caeli non molle exilium

[1]) *Pandatariae:* maior Iulia; Agrippina. — *Pontiae:* Nero Agrippina Iulia, Germanici liberi. — *Trimeri:* Iulia minor. [Tac. *ann.* I, 53. IV, 71. Suet. *Aug.* 65. *Ti.* 53; 54. *Calig.* 15. Dio 55, 10. 59, 22.] — Sequitur Octaviae et tum Flaviae Domitillae relegatio, quam Domitianus Pandatariam misit [Dio-Xiph. 67, 14]; eandem, ut videtur, narrat Euseb., *h. eccl.* III, 18, 4, Pontiam relegatam esse. — Lucillam et Crispinam Commodus *Capreas* misit. [Dio-Xiph. 72, 4.]

[2]) Strabo p. 233: *οἰκούμεναι καλῶς.*

[3]) Scr. h. Aug. *v. Ant. Pii* 8: *„usque adeo sub eo nullus percussus est senator, ut etiam parricida confessus in insula deserta poneretur, quia vivere ei naturae legibus non licebat.“*

[4]) *Suillius:* Tac. *ann.* XIII, 43. — *Votienus Montanus:* Suet. *rel.* p. 290 Roth. [Tac. *ann.* IV, 42.] Hieronym. ad a. MMXLIII. — Sine nomine: Suet. *Galba* 10.

[5]) Plin. *h. n.* III, 77. — Tac. *ann.* XIII, 43: *„ferebaturque copiosa et molli vita secretum illud toleravisse.“*

erat[1]), aut in Corsica, quam Seneca *asperrimam insulam, abruptum undique saxum* esse dicit[2]), aut Cercinae, quae Africi maris insula *liberam* civitatem continebat[3]), exulabant, consuetudine hominum carebant aut eis, quae ad cultum victumque pertinent. Ac ne ille quidem Cassius Severus *orandi validus,* qui in Cretam amotus inde in durius exilium missus est, omnibus vitae commodis erat privatus[4]). Atque maior earum, in quas deportare solebant, insularum numerus in Aegaeo mari sitae sunt[5]); in quas Nero multos eorum, qui cum Pisone coniuraverant, misit. Ex quindecim, quas Strabo[6]) Artemidorum secutus enumerat, Cycladibus certo scimus sex exilia fuisse: Cythnum[7]), Naxum[8]), Syrum[9]), Andrum[10]), quae oppida habebant, eisque clariora Seriphum et Gyarum, quae durissima exilia fuisse videntur; nam poëta, cum gravissimas poenas commemorare vult, dicit: *Gyarae scopulos* et *parvam Seriphum*[11]). Tametsi Gyarum auctores saxosam et sterilem, egenam aquae et desertam fuisse tradunt[12]),

---

[1]) *Anicetus:* Tac. *ann.* XIV, 62. — *Cassius* i. c.: *ib.* XVI, 9 Pompon. in *D.* I, 2, 2, 51. — *Crispinus:* Tac. *ann.* XVI, 17. — Tac. *ann.* II, 85: *„actum et de sacris Aegyptiis Iudaicisque pellendis factumque patrum consultum, ut quattuor milia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea aetas, in insulam Sardiniam veherentur coercendis illic latrociniis et, si ob gravitatem caeli perirent, vile damnum.“* An eà condemnatio ad opus est?

[2]) *Seneca:* id. *cons. ad Helv.* 6, 4.

[3]) Plin. *n. h.* V, 41. Strab. p. 834. — *Gracchi* huc deportati filium Tacitus [*ann.* I, 53; IV, 13] *„inter extorres et liberalium artium nescios“* adultum esse tradit. Hoc: *„milites ad caedem missi invenere in prominenti litoris nihil laetum opperientem“* fabulas redolet.

[4]) Tac. *ann.* IV, 21. Suet. *rel.* p. 290 Roth.

[5]) Tac. *ann.* XV, 71. — Cf. Plutarch. *de exilio* c. 10.

[6]) Strab. p. 485.

[7]) *C. Junius Silanus:* Tac. *ann.* III, 69.

[8]) Plut. *de ex.* c. 9. — „[L. Junius] *Silanus, tamquam Naxum deveheretur, Ostiam amotus, post municipio Apuliae, cui nomen Barium est, clauditur.“* Tac. *ann.* XVI, 9. — Plin. *n. h.* IV, 67.

[9]) Vaticinator quidam sub M. Aurelio: *Coll.* XV, 2, 5.

[10]) Philo *l. l.: Avillius Flaccus.* — Plin. *n. h.* I, 231. IV, 65. XXXI, 16.

[11]) Iuven. *sat.* VI, 564. X, 170. I, 73.

[12]) Sen. *cons. ad Helv.* 6, 4. Plut. *de ex.* c. 7. Tac. *ann.* III, 69: *„immitem et sine cultu hominum;“ ib.* IV, 30: *„egenam aquae . . .*

tamen in eis verbis non nimis haerendum esse puto, cum et Strabo vicum a piscatoribus habitatum et Plinius oppidum in ea insula fuisse scribat[1]); neque saxea Seriphus ab omnibus hominibus deserta erat[2]). Itaque haud dubium est, quin exules in utraque insula et homines et alimenta, quae ad vitae usus sufficerent, invenerint[3]), neque est, cur miremur remotorum illorum locorum incommoda fama atque rumoribus in maius aucta esse. Atque haud scio an Tacitus *ira et studio* adductus sit, ut Tiberium loquentem faceret *vivendi usus* eis deesse, qui Gyarum, qua in insula certe nonnulli Taciti amici exulaverant, deportarentur. Una cum illis Sciathus, quam insulam Magnesiae orae propinquam oppidum habuisse accepimus[4]), et *viridis* Donussa[5]), quae prope Naxum sita est, et Hyria[6]) commemorantur in numero earum insularum, in quas deportari solebat. Sporadum autem Amorgus[7]), cum tribus oppidis, parva atque inculta Cinarus[8]) et Patmus, in qua Johannes apocalypsim scripsisse traditur[9]), exilia erant.

Id certe concludi posse credo deportationis poenam non eam fuisse, ut exules quodammodo expositi atque omni humano cultu privati essent. Atque etiam in multis, fortasse in plerisque insulis complures eodem tempore exules fuisse

---

insulam referens dandosque vitae usus, cui vita concederetur." — Philostrat. *v. Apoll.* VII, 16. — Cf. Cic. *ad Att.* V, 12, 2.

[1]) Plin. *n. h.* IV, 69. Theophrastus narravit incolas muribus fugatos esse. — Strab. p. 485: tributum DC HS conferebat. — Ross, *griech. Inseln*, p. 5: „*unfruchtbare Felsklippe*".

[2]) Strab. p. 487: Medusae mythus. — Ross, *l. l.* p. 134 ss.

[3]) Tac. *ann.* III, 68. IV, 30. — *Musonius Rufus:* Philostr. *l. l.*; Julian. *ad Them.* 265; Suidas *s. v.* et s. *Βάρεις*; Tac. *ann.* XV, 71. — *Vistilia:* Tac. *ann.* II, 85. — *Cassius Severus: ib.* IV, 21.

[4]) Seneca *l. l.* 6, 4. Strab. p. 436.

[5]) Tac. *ann.* IV, 30: ea quoque insula egena aquae dicitur, sed Vergilius eam „*viridem*" appellat: *Aen.* III, 125. *Ciris* 476.

[6]) Plut. *de ex.* c. 9.

[7]) *Vibius Serenus*: Tac. *ann.* IV, 13. 30. — Ross, *l. l.* p. 172.

[8]) Plut. *de ex.* c. 8: *Σκληρὰν ἄκαρπον καὶ φυτεύεσθαι κακήν.* — *Xeno:* Suet. *Ti.* 56.

[9]) Euseb. *h. eccl.* III, 18. 23. VII, 25.

conicere possumus[1]), quamquam, utrum in eadem insula et relegati et deportati morari potuerint necne, ignoramus et verisimile est nullas de ea re leges fuisse; apud Modestinum enim scriptum invenimus deportatis principes eas insulas assignare solitos esse, quae essent asperrimae[2]). Ceterum Augusti illud de quinquaginta milibus passuum brevi exolevit, cum pleraeque insulae, in quas deportabatur, propius continentem sitae essent; ex quibus solam Gyarum commemoro, in quam non dubium est, quin plures deportati sint rei, quam relegati. —

Quam lenes eae poenae fuerint, intellegi potest, si comparantur cum ea iuris criminalis Romanorum parte, quae, cum ad eas personas, quae non optimi iuris erant, pertineat, acriores omnium criminum poenas in *humiliores* continet. Et mortis quidem poena utrique, et *honestiores* et *humiliores* adfici poterant: attamen illis quaedam privilegia concedebantur, ne crudeliora supplicia in eos adhiberentur. Exiliis autem honestiorum respondebant humiliorum ad opera damnationes; eas enim in ordinem digessit Hadrianus rescribens *in custodiis* — eo enim nomine appellantur opus et metallum, ut ab exilio distinguantur — *gradum servandum esse, id est ut, qui in tempus damnati erant*[3]) [et evaserant] *in perpetuum damnarentur, qui in perpetuum damnati erant, in metallum damnarentur, qui in metallum damnati id admiserint, summo supplicio adficerentur.* Opus publicum ergo et temporarium et perpetuum esse poterat; opus metalli autem erat perpetua et capitalis poena cum amissione libertatis[4]). Atque eas poenas, quamquam nondum satis distinctae atque definitae

---

[1]) Tac. *ann.* XVI, 14. IV, 13 cit.

[2]) Modestini *fgmt.* II [Huschke, *iurispr. anteiust.*]: „*item distant et in loci qualitate, quod cum relegato quidem humanius transigitur, deportatis vero hae solent insulae assignari, quae sunt asperrimae quaeque sunt paulo minus summo supplicio comparandae.*“ —

[3]) Sc. in opus. Callist. l. VI. *de cognit.* in *D.* 48, 19, 28, 14.

[4]) *Ib.* §. 6: „*D. Hadrianus in haec verba rescripsit: in opus metalli ad tempus nemo damnari debet, sed qui ad tempus damnatus est, etiam si faciet metallicum opus, non in metallum damnatus esse intellegi debet: huius enim libertas manet quamdiu* [quemadmodum: Cuiac.] *etiam hi* [his: Cuiac.], *qui in perpetuum opus damnantur.*“

erant, sub Traiano in provinciis persaepe adhibitas esse ex epistulis Plinii colligere possumus[1]). Sed Ulpianus distinguit opus metalli a poena metalli, quamquam utramque poenam libertatis amissionem sequi et differentiam inter eos, qui in metallum et eos, qui in opus metalli damnati essent, in vinculis tantum fuisse tradit[2]); praeter eas autem poenas opus metalli temporarium sine capitis minutione, item opus publicum perpetuum et temporarium adhibebantur. Utrum in opus publicum perpetuum damnati libertatem amitterent necne, iurisconsulti mihi quidem videntur dubitasse. Nam et Callistratus dicit in opus publicum damnationem *ad existimationem, non ad capitis periculum* pertinere sicut relegationem[3]) et Ulpianus, ut mihi quidem videtur, civitatis amissionem eam non sequi censuit; Antoninum Pium autem rescripsisse constat in opus perpetuum damnatos non dissimilis condicionis esse ab his, qui deportantur in insulam; eiusque opinionem Marcianus secutus est[4]). — Quae cum ita sint, earum poenarum quondam alias libertatis amissionem secutam esse, alias omnino nullam capitis minutionem, nullas vero mediam capitis minutionem verisimile est. Itaque, cum alii deportari potuerint, non in metallum dari, alii tantum in metallum dari potuerint, rationem iuris intellegere non possumus, nisi putamus solos peregrinos quondam eis poenis adfectos esse eosque solos

---

[1]) Plin. *ad Trai.* 31—32 [40—41], ex quibus nescio an colligi possit tunc omnes operum poenas cum amissione civitatis coniunctas fuisse neque tunc opus publicum sine metallis omnino poenam fuisse; nam Traianus scribit „*senes ante annos decem*" damnatos solere „*in ea ministeria, quae non longe a poena sint,*" distribui, ut „*ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum et vicorum.*" — De eiusmodi poenis sub Gaii et sub Neronis principatu cf. Suet. *Cal.* 27: „*ad metalla et munitiones viarum.*" *Nero* 31: „*quorum operum perficiendorum gratia quod ubique esset custodiae in Italiam deportari, etiam scelere convictos nonnisi ad opus damnari praeceperat.*"

[2]) *D.* 48, 19, 8, 4—8; *eod.* 10, 1; 17 pr.; 36 etc. — *D.* 50, 13, 5, 3. — Operis metalli temporarii poena non saepe adhibita esse videtur; cf. *D.* 48, 19, 7—8; *eod.* l. 23.

[3]) *D.* 48, 19, 28, 1.

[4]) *C. I.* IX, 47, 1. *D.* 48, 19, 17, 1. — Propter verborum „*metalli*" et „*operis*" ambiguitatem persaepe intellegi non potest, quam quisque auctor significarit poenam.

humiliores fuisse; nam eorum de iuribus si poena nihil nisi tantum detrahebatur, quantum Romanis civibus deportatione detrahebatur, servi sine dominis fiebant[1]), sicut deportati peregrini sine certa civitate[2]). Accedit quod extra Italiam eiusmodi poenas iam pridem adhibitas esse accepimus, ut earum origo vel in Aegypto vel in alia imperii Romani provincia investiganda sit. Sed iam primis principatus temporibus praeter peregrinos etiam Romanorum civium pars in humiliorum ordinem detrudebatur atque primi, ut mihi quidem videtur, libertini[3]); quo plures autem peregrini civitate Romana donabantur, in eo plures cives Romanos graviores illae poenae adhibebantur[4]). Atque cum iurisconsulti illos ordines nunquam certis cancellis circumscripsissent et iudices neque ullis mandatis coerciti neque certis, extra quos non egrederentur, terminis inclusi sententias suas regerent, prout saeculum moresque impellerent, plures in dies personae in humiliorum numero habebantur. Itaque evenit, ut eodem fere tempore, quo omnes, qui in orbe Romano erant, liberi homines vel plerique eorum cives Romani facti erant, ei tantum in honestiorum numero essent, qui proprie atque expresse excepti erant gravioribus illis poenis: senatores, equites, decuriones itemque et Romani et municipales magistratus[5]); atque humilioribus ei opponebantur *qui in aliqua dignitate*

[1]) „*Poenae servus est, non Caesaris*“: *D.* 49, 14, 12. 34, 8, 3. 48, 19, 17 pr. C. J. IX, 49, 4. — Cf. Cohn, *cap. demin.*, p. 61.

[2]) De fragmento de dediticiis et de deportatorum iuribus alias disseram. Cf. quae supra dicta sunt.

[3]) Cf. Tac. *ann.* II, 85 cit. — E *D.* 4, 3, 11, 1 colligi potest iam Labeonis aetate cives R. non eadem omnes condicione fuisse. — Adde turpes et infames personas. — Humiliores etiam *plebeios* appellatos esse constat.

[4]) Itaque ius gentium etiam in ius criminale Romanorum invasit.

[5]) Paul. *s. r.* V, 4, 10 nos docet *atrocem* iniuriam eam esse, quae ab humili loco nato vel plebeio inferatur senatori equiti decurioni magistratui aedili iudici vel alii spectatae auctoritatis viro. Quos *honestiores* fuisse conici potest. — Neminem nisi *honestiorem* iudicem fieri moris erat: quare Paulus poenam eorum criminum, qnae non nisi a iudicibus committi possunt, deportationem solam commemorat. V, 23, 10. 25, 4. — Milites veteranique honestiorum poenis puniuntur: *D.* 49, 16, 3, 1. 49, 18, 3 etc.

vel *qui in aliquo gradu positi sunt*[1]); quin etiam accepimus in provinciis honestiorum poenam in quibusdam causis eam fuisse, ut ordine moverentur, qnam poenam ad decuriones tantum pertinere ex natura rei sequitur[2]).

Sed licet humilioribus poenas iudices persaepe ex libero arbitrio graviores vel leniores inrogare potuerint, tamen, si relegationum deportationumque genera cum eis poenis comparamus, congruentiam qnandam aequalitatemque reperimus, ut permulta exempla docent[3]).

Cum in honestiorum poenis aliqua tamen ratio dignitatis haberetur, ea operum poenarum natura erat, ut condemnati custodirentur omnesque omnino eorum motus comprimerentur, ut interdiu compedibus vincti laboribus in metallis conficeren-

[1]) *D.* 26, 10, 3, 16. 47, 9, 12, 1. 48, 8, 1, 5 etc.

[2]) *D.* 47, 18, 1, 1: Ulp. l. VIII. *de off. procons*: *„expilatores . . . honestiores . . . ordine ad tempus moveri vel fines patriae iuberi excedere“* [solent]. 47, 14, 1, 3.

[3])

honestiores		humiliores
deportatio;	*D.* 47, 12, 11. 48, 8, 3 [9, 12]. Paul. V, 23, 13; 18. 22, 1. 21, 2. 25, 2; 12. 26, 1.	poena capitis;
	D. 48, 13, 7. 48, 19, 38, 7; 9. Paul. V, 19, 1. 21, 4. 25, 1; 7; 10.	metallum et opus metalli;
relegatio in insulam;	*D.* 48, 19, 28, 10; 38, 5. Paul. V, 20, 5. 23, 14. 25, 9. 26, 3.	
relegatio perpetua;	*D.* 48, 19, 38, 8. Paul. V, 25, 8.	
relegatio;	*D.* 47, 12, 11. 17, 1. Paul. V, 23, 4.	
	D. 47, 14, 1.	metallum vel opus publicum;
	D. 47, 11, 6. 18, 1.	opus publicum;
	Paul. V, 20, 6.	opus publicum temporarium.
relegatio temporaria;	*D.* 47, 11, 7.	

etc. Quamquam exceptiones exstant: *D.* 48, 5, 39, 8. Paul, V, 22, 2 etc.

tur[1]), noctu in ergastulis inclusi essent[2]); quin etiam, ut eos severa disciplina coercerent et ad opera adigerent, milites in metalla missos esse ex titulis nonnullis apparet[3]) et tribunum militibus in metallis praefuisse in passione sanctorum quattuor coronatorum narratur[4]). Sed quae de singulis reis in metalla damnatis nobis tradita sunt, pleraque ad Christianos pertinent[5]), et imprimis Eusebius illa sine sanguine martyria narrat[6]); de quibus disserere nobis propositum non est. Satis erit commemorasse cum in permultis provinciis[7]) tum in quibusdam insulis metalla fuisse, veluti Scyri Proconnesi Gypsi atque in Sardinia. Itaque fieri potuit, ut et deportati et in metallum damnati in eadem insula essent; atque ea potissimum re factum esse videtur, ut postea deportatio nonnunquam cum metalli poena coniungeretur et nonnulli imperatores opinarentur deportationem libertatis amissionem sequi posse[8]). —

Vidimus, cum civitates foedera iniissent, aquae et ignis interdictione, cum foederatae civitates in unius Romani imperii corpus coaluissent, deportatione relegationibusque et metallis opereque puniri coeptum esse. Atque hoc iter esse et haec progressio generis humani videtur, ut gentes ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, in dies magis erudiantur. Itaque plures in dies homines eodem iure

---

[1]) *D.* 48, 19, 8, 6.

[2]) Cyrillus episcopus in *passione sanctorum quattuor coronatorum*, c. 2: ed. Wattenbach in Büdinger, *Unters. z. Röm Kaisergesch.* III.

[3]) Cf. Hirschfeld, *R. Verwg.* p. 78. 85. 89. Marquardt, *Stsverw.* II² p. 265.

[4]) C. 6 ss. — Benndorf in Büdinger *l. l.*

[5]) Cf. de Rossi, *bull. di arch. christ.*, a. 1868, m. Mart. et Apr.

[6]) Eusebius, locis apud de Rossi laudatis.

[7]) Cf. *D.* 48, 19, 8, 4. — Hirschfeld, Marquardt *l. l.*

[8]) *C. I.* VIII, 50, 20, 4 [a. 409.]. II, 15, 2, 1 [a. 439.]. I, 11, 8, 1 [a. 472?]. — Holtzendorff, *l. l.* p. 136—7. M. Cohn, *l. l.* p. 74. — Etiam in novas insulas deportabatur veluti Boam Axiam Cyprum. — Callistratum in *D.* 50, 13, 5, 3 libertatis amissionem cum deportatione non coniunxisse conicio, sed scribendum esse „item“ pro „*id est*“, in quod „*id*“ corruptum esse puto. —

utuntur neqne, quoniam in omni civitate concordia artissimum atque optimnm vinculum incolumitatis est, status reipnblicae, nisi est in omnes ordines civitatis aeqnabilis, diuturnus esse potest. Sed qnamqnam permulti liberi homines civitate Romana donabantur, tamen principibus per iustitiam aeqnitatemqne respnblica stare augeriqne non posse videbatur. Quamquam enim peregrinis iter *ad hoc amplissimum praemium civitatis* non *saeptum* erat, tamen a principatu initium factum est certos ordines civium distinguendi. Atque ei ordines eo maxime inter se differunt, quod alii aliis poenis pnninntur; nam non solum peregrinis civitas data, sed etiam eorum ins criminale receptum est. Ius gentium igitur in ius criminale etiam permanabat. Itaque cum leges cum aliis alia voce loquerentur et premeretur multitudo ab eis, qni maiores opes habebant, neque omnes eadem aequitate continerentur: labefactata fundamenta reipnblicae, turbata concordia, divulsa commoda civinm sunt, nt nullis cives beneficiis reip. obligatae essent, ut *gravis* illa societas, quae civibus cum rep. esse debet, dirimeretur, ut perpauci cives parati essent pro eiusmodi rep. propnlsandorum hostium causa propugnare. Itaque cum deessent, qui hostes defenderent, deletum imperium, populi Romani nomen exstinctum est. —

Typis expressit G. Bernstein.

Argumentum.

Ty[illegible] G. B[illegible]ein.